

Descriptiones
Terrae Sanctae
ex saeculo VIII. IX. XII. et XV.

S. Willibaldus
Commemoratorium de casis Dei. Bernardus Monachus
Innominatus VII. Johannes Wirziburgensis
Innominatus VIII. La Citez de Iherusalem
Johannes Poloner.

Nach hand- und druckschriften herausgegeben
von
Titus Tobler.

Nebst einer Karte.

Leipzig 1874.
J. C. Hinrichs'sche Buchhandlung.

Druck von C. R. Schurich in München.

I.

S. Willibaldus.

a. Vita seu potius hodoeporicon sancti Willibaldi scriptum a sanctimoniali.

Prologus.

Venerandis immoque in Christo carissimis omnibus sacerdotalis infulae honore ditatis presbyteris praeclaraeque indolis diaconibus et nihilo minus abbatibus sive omnibus populariae conditionis proceribus, quos pastoralis curae privilegio pius procerum pontifex alios agio ordine presbyteros, alios sobriae pudicitiae elegantes diaconos, alios coenobialis militiae monachos, alios sub discipulari habitu sollertibus litterarum studiis inhaerendo, docendo, ad meliora recti regiminis principatu erudiendo

provexit, et ita, ut egregius exercitorum alumnus sua industria per dioecesim diligenter quodammodo ut natos proprios mulcendo, fovendo fovere solebat: istis omnibus istic sub sacrae legis moderamine manentibus ego indigna saxonica de gente, istic venientium novissima, et non solum annis, sed et moribus et, de illorum comparatione contribulium meorum, quasi homuncula, ego quidem vobis religiosis ac catholicis viris, coelestis bibliothecae ministris, ob utilitatem memoriae pauca perstringendo, paulatim de primordialis vitae ejus venerandi viri Willibaldi prooemio disputare decreveram. Sed tamen praecipue ego femina fragilique sexus imbecillitate corruptibilis, nulla praerogativa sapientiae suffulta aut magnarum virium industria elata, sed spontanea voluntatis meae violentia coacta, velut quadam ignara parva de pectoris prudentia decerpens et ex multis frondosis frugiferisque arboribus florum varietate onustorum exigua qualibet arte, saltem extremis in ramis, vestrae memoriae coapta pauca excerpere, compaginare edissereque me libet. Et nunc reciproco sermone iterando dico, non propriae praesumtionis primordio, non temeritatis audacia instanter freta hoc incipere nisi ut vix audeo.

Sed quia nunc primum Dei gratia venerandique viri tantae visionis magnitudine vestraeque auctoritatis excellentia et nihilo minus bene valido vestrae voluntatis auxilio atque consensu aliquatenus me credebam posse impetrare, ut tanti operis celsitudinem tantaque miraculorum nec non etiam virtutum signa, quae Dominus pro humani generis salute se humiliando, descendendo in humani corporis assumtione, divinae roboratus potentiae privilegio, praestare atque perficere dignatus est in hoc mundo, suisque oculis venerandi viri Willibaldi corporaliter cognita suisque plantis per omnia palpando penetrandoque visibiliter comparuere: haec omnia intimando perstringimus. Et non solum signa, quae nobis per evangelii gratiam certa demonstrantur, ille videbat, sed etiam ipsa terrarum loca, ubi Dominus noster nascendo patiendoque ac resurgendo nobis apparuit, et nihilo minus alia prodigiorum virtutumque vestigia, quae Dominus in isto orbe terrarum depromere diffamareque dignatus est, ille perspicax nostrorum paedagogus omnium omnia transmeando, fide robustus, fato fortunatus, procaciter peragrans, omnia visitando reperiebat atque videbat. Unde nunc certe, ut

ita dicam, mihi videtur esse protervum, quod ista omnia muto tenacitatis silentio, oppilatis labiis, humana taceat lingua, quae Dominus suo servo per proprii corporis laborem per visionemque oculorum ostendendo in nostris temporibus revelare dignatus est. Ista non apocryphorum nenia, erratica dissertatione relata esse cognoscimus, sed sicut, ipso vidente et nobis referente, de oris sui dictatione audire et nihilo minus scribere destinavimus, duobus diaconibus testibus mecumque audientibus nono kalendas Julii, pridie ante solstitia die.

Ista certe, litterarum apices, non ideo ego idiota disputare inchoo, quod de vestrae sagacitatis industria me aliquid diffidere aestimatis, seu quod bene non noverim ego, multos vestrorum, quos Dominus Deus nosterque antistes mihi praestantiores non solum virilis sexus dignitate, sed et divinae conditionis ministerio praeferre dignatus est, multo melius divinae legis eruditione et nihilo minus indagatione, sollerti cura procaciores disponere edissereque posse; sed quia me, indignam tamen, de illorum genealogiae stirpe aliunde propagatam, forte de extremis ramorum cauliculis me fore noveram, de tantis talibusque virorum beatitudinibus venera-

bilique vita eorum non solum in actibus, sed et in itineribus variis multifariisque miraculorum magnitudinibus perfecte proficiscentium aliquid memoriae dignum lectoris legendi manibus imponere me libet. Quorum alter summae sacerdotalis infulae pastoralisque curae praerogativa praelatus, inclitus crucicola, magnus magister Willibaldus, et alter, rectae soliditatis iter arripiens, prava dirigens, indirecta asperaque ferocia polite planitans, spissas pravorum gentilium potervasque peccatorum spurcitias non deside, tepide titubanti mente, sed, felici temeritatis audacia procaciter supernae sagacitatis zelo rite roboratus, instante labore omnia exinanivit. Qui sacerdotali quoque praelatus infula pastoralique computatus honore abbas erat praeclarusque christicola Wunebaldus. Ista omnia per albas camporum planities, sulcato tramite, nigra perarata pennae vestigia scripta, vestra cara coram scientia praesentata, contra omnes aemulorum vituperationes, Dei gratia vestraque per omnia protectionis parma, et nihilo minus placidae vestrae commendamus perceptioni, ut in omnibus laeti laudemus nos liberantem, dona tribuentem Dominum.

I. Quomodo vitam scribere decernitur.

Primum igitur venerabilis summique Dei sacerdotis atque pontificis primordium vitaeque illius venerandi viri Willibaldi sublimitatem, qui sollerter sub sacrae legis moderamine alma priorum exempla sanctorum militando, serviendo, mente et moribus sectando inhaerebat, hujus itaque vitae exordium et inante juventutis medietatem ad illius usque senectutem processum et hactenus usque decrepitam aetatem intimando, gracilem opusculi hujus conjecturam glomerando ordiri decreveram ordinandoque texere.

II. Infans gravi morbo corripitur.

Cum ille, in prooemio, suae infantiae cunabulis, amabilis atque delectabilis blandisque nutrientium adulationibus, praesertimque parentum, circa illum magno devotionis affectu diurnaque sollicitudinis providentia curam gerentium confotus atque enutritus, ad triennium usque pervenit, transactis itaque tunc tribus annorum curriculis, cumque parvus ille

seu delicatus fragili aevo, infantili aetate, teneros corporis adhuc gereret artus: subito evenit, ut illum triennium gravis corporis opprimebat aegritudo, tantaque arreptus est corporis molestia, ut exiguae membrorum stringerentur compages, et vix in eo permanens status vicinum minabatur vitae exitum. Cumque istud cernerent pater et mater, editum suum aegrotantem jamque usque pene seminecem, timidi extasi novaque mentis moestitia valde retenti, angere coeperunt, quod sobolem suam sibi genitam, recenti lue lassatam exitialique discrimine ex improvisa morte irretitam fore viderunt, et illum, quem prius de primordialis infantiae cunabulis ablactatum atque confotum usque ad triennium nutriebant illisque superstitem et haeredem habere optabant, jam quasi exanimem seu extinctum glebaque coopertum dolere timebant; sed omnipotens Deus, mundi fabricator, coeli terraeque limator, servum suum infantem et adhuc inoletum exilibusque membrorum compagibus tenerum hominibusque incertum illum de corporis ergastulo adhuc educere nolebat, sed ut multis postea per orbem sua norma neophytis patula panderet vitae praemia.

III. Coenobialem vitam degere filio parentes promittunt.

Sed ad pristinam nunc redeamus iterum praefati viri infantiam. Cumque parentes ejus, magno mentis excessu suspensi et de incerta filii sui evasione ambigui, sumentes filium suum, obtulerunt illum coram illa dominica sanctaque cruce salvatoris. Quia, ut mos est saxonicae gentis, quod in nonnullis nobilium bonorumque hominum praediis non ecclesiam, sed sanctae crucis signum Domino dicatum, cum magno honore almum, in alto erectum ad commodam diurnae orationis sedulitatem habere solent, illic ponentes illum coram cruce, Dominum Deum, omnium plasmatorem, illos consolari sospitemque suum servare natum suis virtutibus obnixe flagitabant, sicque intentissimis illorum precibus se vicem reddere spondebant Domino, ut, si pristina illius infantis restituta foret sanitas, extemplo illum sub sacri ordinis primordio tonsuram accipere, sub coenobialis vitae disciplina, sub divinae legis moderamine militando, Christi famulatui subjicere illum promiserunt. Statimque postquam illi vota voverunt, verba consummaverunt filiumque suum coelesti commendaverunt regi militare, confestim

gratum postea a Domino petitionum consequebantur effectum, pristinaque puero postea restituta est sanitas.

IV. De pueritia Willibaldi; ad monasterium Waldheim ducitur.

Cumque illuster ille puer ad quinquennium usque pervenisset, in eo jam tunc spiritualis germinabat sapientiae virgultum. Itaque parentes votiva desideriorum implere properabant promissa, atque illustrium quantocius cum consultu amicorum carnaliumque propinquorum consilio ad sacrae coenobialis vitae instrumenta praeparare atque perficere festinabant. Confestimque illum venerando fidelissimoque viro Theodredo commendabant, sua providentia eum ad coenobium ducere omniaque prudenter de sua causa dispensare disponereque rogabant. Cumque perrexissent et illum ducerent ad monasterium, quod vocatur *Waldheim,* venerando abbati illius monasterii, qui vocatur Egwald, offerebant; ast illum suae conditionis jure juniorem seu obediendo discipulum suo subdiderunt imperio. Statimque ille abbas monasterii secundum regularis

vitae disciplinam declarabat ista suae congregationi, sicque, ut cum eorum consilio sive licentia hoc foret, ille flagitabat. Cui protinus omnis illa conventio fratrum simul responsum seu licentiam dabant suaeque voluntatis arbitrio omnia fore fas dicebant, acceptumque illum, ocius inter coenobiale vitae eorum consortium jungendo, sociabant.

V. Sacris litteris et monachiali vitae inhaeret.

Post haec itaque cum puer iste pudicus, ceu perfectus sacris litterarum studiis imbutus atque eruditus, sacras davidici carminis paginas sollerti mentis intentione peragrans, sed et etiam alia divinae legis hagiographorum armariola indagando sive legendo procaci ille sensu sophyrus, mente moderatus indagat, et tamen non adhuc plurimorum aetate annorum grandaevus, sed, sicut divina semper supernae pietatis clementia agere solet, secundum propheticum prophetarum vaticinium ex ore infantium ceu lactantium perficere sibi solet laudem. Deinde itaque cumque in eo jam simul annorum aetas mentisque sagacitas divinae dispensationis moderamine pullulare coeperat, et multo magis

in eo jam tunc divina spiritus sancti gratia, quam corporis magnitudo creverat aut membrorum valetudo: totusque jam ille in Dei amorem conversus, magna mentis diuturna meditatione tractando monasterialia moderationis instrumenta monachalisque vitae monarchiam in abdita mentis quietudine die noctuque sollicite volutabat, quomodo illorum se intercopularet casta monachorum clientela, aut qualiter illorum faustis interfore possit familiaris vitae disciplinis.

VI. Peregrinatio in mentem venit.

Cumque, ista sedulae intra mentis volubilitatem volvens, tractare coepit, qualiter ista cogitatio depromereri proferrique poterit in effectum, ut caduca cuncta cosmi istius contemnere sive derelinquere quiret, et non solum temporales terrenarum rerum divitias, sed et patriam et parentes atque propinquos deserere, peregrinationisque tentare tellurem et ignota exteriorum requirere rura, cumque, aliquanta temporum intercapedine transacta, ille jam, post infantiales ejus oblectationis ludicras et pueritiales incentivorum lascivias, illecebrosas

lubricae aetatis petulantias per indefessam atque ineffabilem divinae dispensationis gratiam ad lanuginem et pubertatis adolescentiam pervenisset: maximam in contubernio fratrum dilectionem per obedientiae affectum, per mansuetudinem, munificentiam in se provocabat, ita, ut amore et honore inter omnes haberetur illos, sicque diutius diurnae sollicitudinis cura elucubris litterarum studiis inhaerendo die noctuque eatenus vigore et rectitudinis rigore mentem edomaret, et de die in diem ad meliora coelestis militiae instrumenta proficeret.

VII. Pater consentit, et una cum filio Wunebaldo consilium proficiscendi init.

Postquam ille adolescens, Christi vernaculus, sicut supra diximus, ignotas peregrinationis vias probare volebat atque externas terminorum tellures adire specularique optabat atque immanissima maris discriminare decreverat aequora: statim ille ista cordis sui clandestina, cunctis occulta, carnali suo revelavit patri, atque illum obnixis flagitabat precibus, ut votivae suae voluntatis desiderio pergendi consilium seu consensum praeberet, et ut transeundi licentiam

daret, et ille secum pergeret pater ejus, poscebat. Cumque illum, ad tanti operis initium tantaeque vitae conversationem invitando, a saeculi voluptatibus, a mundi deliciis, a temporalis vitae falsis divitiarum prosperis suggerendo segregare volebat, et illum, opitulante Domino, ad rectae constitutionis formam et ad coelestis militiae tirocinium divinum inchoare servitium propriamque deserere patriam et patula secum peregrinationis perquirere rura rogabat, et sic illum primitus blandis oraculorum studiis alloquendo invitabat, ut, comitatu filiorum ejus fungens, egregia adiret Petri, apostolorum principis, limina: tunc ille adprimitus, illo postulante, petitum negaverat transitum, excusandoque conjugis et liberorum inoletivorum parvitatem et fragilitatem illos orbare et alienis derelinquere inhonestum et crudele esse respondit. Tunc ille belliger Christi miles, iteratis hortationum oraculis magnisque precum perdurationibus, toties per asperiora rigidioris vitae documenta metu et minis objurgabat, et toties placidis vitae aeternae sponsionibus, amoenitate paradisi et amore Christi mulcendo illum instigabat, et ita omnibus modis hortando, alloquendo ad suae voluntatis consensum

animum provocare conatus est. Sicque tandem, omnipotentis Dei auxilio, petentis et provocantis invalescebat voluntas, ita, ut ille suus pater et frater Wunebaldus ad optatam et hortatam se inchoare metam pollicerentur.

VIII. De transitu Willibaldi, iter ad Romam: Hamelea Mutha, Sigona, Rotum, Gorthonicum, Luca, s. Petri basilica.

Post haec itaque cum, temporum intervallo et annorum vergente curriculo aetatis, jam immineret tempus, pater suus et frater coelebs praedestinatum et adoptatum inchoaverunt iter. Et congruo aestatis tempore prompti ac parati, sumtis secum vitae stipendiis, cum collegarum coetu comitantium ad loca venerunt destinata, quae prisco dicebantur vocabulo *Hamelea Mutha*, juxta illud mercimonium, quod dicitur *Hamwih.* Et non multa transacta temporis intercapedine et navigio parato, nauta ille cum classibus suoque nauclero, naulo impenso, circio flante, ponto pollente, remigiis crepitantibus, classibus clamantibus celocem ascenderunt. Tumque, transmeatis maritimis fluctuum formidinibus pericu-

losisque pelagi pressuris, vastum per aequor citato celocis cursu, prosperis ventis, velata nave tuti aridam viderunt terram. Et statim ovantes de navi descenderunt, et illic castraverunt et tentoria fixerunt in ripa fluminis, quod nuncupatur *Sigona,* juxta urbem, quae vocatur *Rotum;* ibi fuit mercimonium.

Et illic aliquantis dierum curriculis requiescentes, iterum pergere coeperunt, et multa illic sanctorum oratoria, quae illis in commodum fuerunt, orando petierunt. Et sic inante *Gorthonicum* gradatim ex parte peragrantes supervenerunt. Cumque pergentes venissent ad urbem, quae vocatur *Luca,* Willibaldus et Wunebaldus patrem eorum in comitatu itineris pariter cum illis ducebant. Statimque sic subitanea praeventus est corporis infirmitate, ut, praeteritis temporum intercapedinibus, prope jam instaret exitus sui dies. Et invalescente in eo aegritudinis gravitate, fessi ac frigidi illius jam tabescebant corporis artus, et sic ultimum vitae suae exhalabat spiritum. Statimque illi germani filii ejus, corpus patris eorum exanime paternae pietatis affectu percipientes, venuste involverunt et terra tumulaverunt in urbe Luca ad

sanctum Frigidianum. Ibi requiescit corpus patris eorum. Confestimque illi, pergentes usquedum per vastas Italiae tellures, perniciter per concava vallium, per abrupta montium, per plana campestrium, ad arduas *Alpium* arces pedestrem scandendo gressum dirigebant in altum. Cumque, lustratis Alpium cacuminibus glacialique nivium nebulosa turbidine, almi Dei adminiculo sanctorumque sustentaculo, cum cunctorum contribulium clientela omniumque collegarum coetu tuti toti tumidas militum evaserunt versutias, illustria extemplo adierunt *limina* egregiaque *Petri*, apostolorum principis, petierunt praesidia immensasque ibidem omnipotenti Deo ac gratas referebant gratias, quod, magnis transmeatis maris discriminibus variisque peregrinationis externorum ignominiis, per omnia prosperi scholasticam scandere meruerunt scalam et praeclaram adire sancti Petri basilicam.

IX. Roma; febri laborant.

Tunc illi duo germani, ibi manentes a nativitate sancti Martini usque ad aliam solemnitatis pascham, et interim dum illa gelida frugalisque hiems trans-

siendo praeteriit vernaleque jam incumbendo instaret germen et paschale per totum mundum fulgendo irradiaret tempus, illi duo germani felicem monasterialis disciplinae vitam sub sacrae legis moderamine ducebant. Tum etiam, decrescente dierum calculo et crescente aestatis caumate, quae praesaga futurae solet esse febris, magna corporis illico arrepti sunt molestia, ita, ut acriter anhelando, febricitando, toties algore frigescens et toties calore aestuans, atrox per artus diffusa esset pestis, et sic irretiti et retenti, magno mortis exitio constricti, febre fatigati erant, ut vix jam in illis vitae halitus per lassos luentium artus volitando versaretur. Sed tamen indefessa paternae pietatis providentia suis consulere suffragarique dignata est, ita, ut unus de duobus unam hebdomadam et alter unam in subsidium ministrandi illi requiem haberet. Et tamen, prout corporis infirmitas perpetrare poterat, a sacrae institutionis norma non recedebant, sed propensius sacrae lectionis studio perseverantes inhaerebant, juxta veritatis vocem dicentis: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

X. Terracina, Cajeta, Neapolis, Rhegium, Catana, mons Aetna, Syracusae.

Postquam ille illuster clarusque cruciscola magna mentis intentione et cordis contemplatione ad supernam internae vitae speculationem provida circumspectione properabat, et, ad sublimioris rigidioris vitae virtutes anhelando, jam non planam, sed arctam austerioris vitae viam per monachalis vitae normam inhiando desiderabat et majorem jam tunc peregrinationis ignorantiam adire optabat, quam illa fuit, in qua tunc stare videbatur: tum ille strenuus, consilio amicorum contribuliumque licentia flagitata, ut suarum opitulatione orationum illum sequi dignaretur, rogabat, ut, totis itineris cursibus, delectabilis atque optabilis civitatis Jerusalem moenia peragrare specularique per illorum pia precum praesidia possibiliter potuisset.

Jamque transactis dominicae paschalis solemnitatibus, agilis exercitus levavit se cum duobus suis sociis et pergere coeperunt. Cumque perrexerunt, venerunt usque ad urbem Terracinam in oriente, et ibi manebant duos dies. Et inde pergentes, venerunt ad urbem Cajetam, quae stat in littore maris. Et ibi tunc ascendentes in navem, transfre-

taverunt ad Neapolim. Et illic, relicta nave, in qua pergebant, stabant ibi duas hebdomadas. Istae civitates sunt romanorum; in Beneventis sunt, sed tamen romanis sunt subditae. Statimque, sicut divina solet pietas incessanter agere, ut votiva vernaculorum desideria suorum implere properat, navem illi de Aegypto invenerunt, et illic intro ascendentes navigaverunt in terram Calabriae ad urbem, quae dicitur Regia. Et ibi manentes duos dies levaverunt se et venerunt in insulam Siciliam, quod est, in urbem catanensem, ubi requiescit corpus sanctae Agathae virginis. Et ibi est mons Aetna, et quando evenerit pro aliquibus rebus, ut ille ignis dilatare se voluerit super regionem, tunc cito illi cives sumunt velum sanctae Agathae et contra ignem ponunt, et cessat. Illic fuerunt tres hebdomadas. Et inde navigantes venerunt in Saracusam urbem in ipsa regione.

XI. Mare Adriaticum, Monembasia, Chios, Samos, Ephesus, Phygala, Hierapolis, Patara, Miletus, Chelidonium, Cyprus, Paphos, Constantia.

Et inde navigantes venerunt ultra mare Adriam ad urbem Manafasiam in Slavinia terra. Et

inde navigantes in insulam Choo, dimittebant Corinthios in sinistra parte. Et inde navigantes in insulam Samo. Et inde navigaverunt in Asiam ad urbem Ephesum, secus mare unum milliarium. Et inde ambulaverunt in illum locum, ubi septem dormientes requiescunt. Et inde ambulaverunt ad sanctum Johannem Evangelistam in loco specioso, secus Ephesum. Et inde ambulaverunt duo milliaria secus mare ad villam magnam, quae vocatur Figila; ibi erant unum diem. Et, petito pane, ibi ibant ad fontem unum in media villa, et, sedentes ibi super marginem, tingebant panem in aqua et sic manducabant. Et inde ambulantes venerunt secus mare ad urbem Strobolem, in montem excelsum. Et inde ibant in locum, qui dicitur Patara, et illic morabantur, usque dum hiemis gelidae horrendum praeteriret frigus. Et postea tunc inde navigantes venerunt ad urbem, quae vocatur Milite; illa fuit quondam de aquis peritura. Ibi sedebant duo solitarii in stulice, id est, fabricata atque firmata cum muro magno de lapidibus, valde summa, ut aqua illis nocere non possit. Et inde transfretaverunt ad montem Gallianorum. Illud fuit totum transmigratum. Et ibi acri famis restricti fuerunt

illi asperitate, ita, ut inedia interlacerati letalem jam diem mortis imminere metuerent; sed omnipotens populorum pastor pabulum suis praestare dignatus est pauperibus.

Et inde navigantes venerunt in insulam Cyprum, quae est inter graecos et sarracenos, ad urbem Papho, et ibi fuerunt tres hebdomadas paschae post anni circulum. Et inde ibant ad urbem Constantiam, ubi requiescit sanctus Epiphanius, et ibi morabantur usque post natalem sancti Johannis Baptistae.

XII. Antaradus, Arca, Emesa; captivitas.

Et inde navigantes venerunt in regionem sarracenorum, in urbem Tharratas secus mare. Et inde ambulaverunt super novem aut duodecim milliaria ad castellum, quod dicitur Archae, et ibi fuit episcopus de gente graecorum, et ibi habebant litaniam secundum consuetudinem eorum. Et inde pergentes illi ambulaverunt ad urbem, quae vocatur Emesa, duodecim milliaria. Ibi est ecclesia magna, quam fecit sancta Helena in honore sancti Johannis Baptistae, et caput illius fuit ibi diu, hoc est, in Syrim.

Tunc erant cum Willibaldo septem contribules, et ille ipse fuit octavus. Confestimque illi pagani sarraceni reperientes, quod advenae et ignoti homines illuc venissent, tulerunt eos et captivos habebant, quia nesciebant, de quale fuerant gente, sed speculatores esse illos aestimabant. Et captivos eos ducebant ad quemdam senem divitem, ut videret et agnosceret, unde essent. Ast ille senex interrogavit illos, unde essent, aut quali fungerentur legatione. Tunc illi respondentes, ab exordio totam intimaverunt ei itineris sui causam. Et ille senex respondens ait: Frequenter huc venientes vidi homines de illis terrae partibus istorum contribules; non quaerunt mala, sed legem eorum adimplere cupiunt. Tunc illi inde pergentes venerunt ad palatium, ut rogarent illis viam transire ad Jerusalem. Cumque illic veniebant, statim ille praeses dixit, quod speculatores fuissent, et praecepit illos in carcerem trudi usque ad illud tempus, quo reperiret a rege, quid fecisset de illorum causa. Cumque illi fuerant in carcere, confestim mira omnipotentis Dei dispensatione, qui pius ubique suos inter tela et tormenta, inter barbaros et belligeros, inter carceres et contumacium catervas sua prote-

gere parma tutosque conservare dignatus est, unus homo fuit ibi negotiator, qui sibi in eleemosynam et animae suae redemtionem volebat illos redimere et de carcere eripere, ut liberi possent pergere in suam voluntatem. Et non poterat, sed econtra quotidie misit illis prandium et coenam. Et in quarta feria et in sabbato misit filium suum in carcerem, et eduxit eos ad balneum et iterum introduxit. Et dominico die ducebat eos ad ecclesiam per mercimonium, ut de rebus venalibus viderent, quid eorum mentem delectaret. Et ille tunc suo pretio illis obtineret, quidquid illorum menti aptum foret. Illi cives urbium curiosi jugiter illuc venire consueverant, illos speculari, quia juvenes et decori et vestium ornatu erant bene induti.

Tunc, illis in carcere commorantibus, unus homo de Hispania venit et loquebatur cum illis in carcere, et diligenter ab illis inquisivit, quid essent et unde essent. Et illi dixerunt ei omnia secundum ordinem de suo itinere. Ille hispanus homo habebat fratrem in palatio regis, qui fuit cubicularius regis sarracenorum. Cumque ille praeses, qui eos in carcerem mittebat, ad palatium veniebat, ille hispanus, qui cum illis in carcere loque-

batur, et ille navitor, in cujus navi fuerunt, quando pergebant de Cypro, omnes simul venerunt coram rege sarracenorum, cui nomen mirmumni. Et cum locutio evenisset de illorum causa, ille hispanus homo omnia, quae illi dixerunt ei in carcere, suo intimavit fratri, et illum rogavit, ut regi indicaret et in subsidio illis foret. Post haec itaque cum omnes isti tres simul coram rege venirent et omnia juxta ordinem intimando illi indicarent de eorum causa, ille rex interrogavit, unde essent. Et illi dixerunt: De occidentali plaga, ubi sol occasum habet, isti homines venerunt, et nos nescimus terram ultra illos et nihil nisi aquas. Et ille rex respondit, eis dicens: Quare nos debemus eos punire? Non habent peccatum contra nos. Da eis viam, et sine illos abire. Alii homines, qui in carcere habebantur, debebant censum reddere unam tremissem; illis autem censum fuit dimissum. Illi cyprii sedebant inter graecos et sarracenos, et inermes fuerunt, quia pax maxima fuit et conciliatio inter sarracenos et graecos. Magna et lata regio fuit illa, et duodecim episcoporum parochia est ibi.

XIII. Damascus, Nazareth, Chana, Tabor.

Confestimque illi cum licentia levantes se, perrexerunt in Damascum centum milliaria, et sanctus Ananias requiescit ibi. Illud est in terra Syrim. Ibi erant unam hebdomadam. Et inde sunt duo millia, ubi fuit ecclesia, et in illo loco primum conversus est Paulus, et Dominus dixit ad illum: *Saule, Saule, quid me persequeris?* et reliqua. Et illic orantes ambulabant in Galilaeam, in illum locum, ubi Gabriel primum venit ad sanctam Mariam et dixit: *Ave Maria,* et reliqua. Ibi est nunc ecclesia. Et ille vicus, in quo est ecclesia, est Nazareth. Illam ecclesiam christiani homines saepe comparabant a paganis sarracenis, quod illi volebant eam destruere. Et ibi Domino se commendantes ambulaverunt inde, et veniebant in villam Chanam, ubi Dominus aquas in vinum convertit. Illic est ecclesia magna, et in illa ecclesia stat altare unum de sex hydriis, quas Dominus jusserat implere aqua, et in vinum versae sunt, et de illo communicaverunt vino. Unum diem fuerunt illic. Et inde pergentes venerunt ad montem Tabor, ubi Dominus transfiguratus est. Ibi

est nunc monasterium monachorum, et ecclesia Domino consecrata et Moisi et Heliae. Et illi cives nominant illum locum Age mons. Illic orabant.

XIV. Tiberias, Magdalum, Capharnaum, Bethsaida, Chorozain.

Et inde pergebant ad urbem, quae dicitur Tiberiadis. Illa stat in littore maris, ubi Dominus superambulabat siccis pedibus, et Petrus, super undas ambulans ad eum, demersus est. Ibi sunt multae ecclesiae et synagoga judaeorum; sed et magnus honor dominica. Ibi fuerunt aliquantos dies, et ibi Jordanis transit per medium mare. Et inde ibant circa mare et pergebant secus vicum Magdalenae. Et veniebant ad illum vicum Capharnaum, ubi Dominus principis filiam suscitavit, ubi fuit domus et murus magnus. Et sic dixerunt illi homines, quod Zebedaeus cum filiis suis Johanne et Jacobo ibi fuerint collocati. Et inde pergebant ad Bethsaidam: inde erant Petrus et Andreas. Ibi est nunc ecclesia, ubi prius erat domus illorum. Et illic manentes unam noctem, mane

pergebant ad Corazaim, ubi Dominus daemoniacos curavit, et diabolum mittebat in gregem porcorum. Ibi fuit ecclesia christianorum.

XV. Jor et Dan, Jordanis, paludes Merom, Caesarea Philippi.

Et ibi orantes, pergebant inde, et veniebant ad locum illum, ubi duo fontes de terra emanant, Jor et Dan, et tunc, venientes de monte deorsum in unum collecti, faciunt Jordanem. Ibi morabantur unam noctem inter duos fontes, et pastores dabant nobis acrum lac bibere. Et ibi sunt armenta mirabilia longo dorso et brevibus cruribus, magnis cornibus erectis; omnes sunt unius coloris. Ostreae paludes sunt profundae ibi. Et quando aestuali tempore magna solis caumatio de coelo terram urere solet, illa armenta tollentia se vadunt ad paludem et demergunt se toto corpore, nisi caput solum. Et inde pergentes venerunt ad Caesaream, ubi fuit ecclesia et multitudo christianorum.

XVI. Monasterium et ecclesia s. Johannis Baptistae secus Jordanem, baptismus in hoc fluvio, solemnitas epiphaniae.

Et ibi requiescentes aliquantum temporis, iterum pergebant ad monasterium sancti Johannis

Baptistae, et ibi erant fere viginti monachi. Unam noctem ibi manebant. Et inde ibant super unum milliare ad Jordanem, ubi Dominus fuerit baptizatus. Ibi est nunc ecclesia in columnis lapideis sursum elevata, et subtus ecclesiam est nunc arida terra, ubi Dominus fuit baptizatus in ipso loco. Et ubi nunc baptizant, ibi stat crux lignea in medio, et parva derivatio aquae stat illic, et unus funiculus, extensus supra Jordanem hinc et inde, firmatur. Tunc in solemnitate epiphaniae infirmi et aegroti venientes habent se de funiculo, et sic demerguntur in aquam. Sed et mulieres, quae sunt steriles, venientes ibi gratiam Domini merentur. Episcopus noster Willibaldus balneavit se ibi in Jordane. Unum diem fuerunt ibi.

XVII. Galgala, Jericho, monasterium s. Euthymii.

Et pergebant inde tunc et veniebant ad Galgala. Ibi sunt inter quinque milliaria, et duodecim lapides illic sunt in ecclesia. Illa est lignea et non magna. Illic sunt duodecim lapides, quos tulerunt filii Israel de Jordane, et portaverunt ad Galgala super quinque milliaria et posuerunt ad testi-

monium transmigrationis illorum. Et tunc illic orantes perrexerunt ad Hiericho, super septem milliaria a Jordane. Ibi erumpebat fons, qui erat sterilis in oneo montis, et fuit inutilis hominibus, antequam venit Helisaeus propheta et sanctificavit illum. Et postea emanavit, atque omnis civitas illa partiebat in agros, in hortos et in omnia, ubicunque illis necessarium erat, et omne, quod humidat ille fons, crescendo proficit ad salutem propter sanctificationem Helisaei prophetae. Inde perrexerunt ad monasterium sancti Eustochii. Illud stat in medio campo inter Hiericho et Jerusalem.

XVIII. Jerusalem: ecclesia et cruces in Calvariae loco, hortus cum sepulchro salvatoris et mirabili domo.

Et inde venit ad Jerusalem in illum locum, ubi inventa fuerat sancta crux Domini. Ibi est nunc ecclesia in illo loco, qui dicitur Calvariae locus. Et haec fuit prius extra Jerusalem; sed Helena, quando invenit crucem, collocavit illum locum intus intra Jerusalem. Et ibi stant nunc tres cruces ligneae foris in orientali plaga ecclesiae, secus parietem, ad memoriam sanctae crucis domi-

nicae et aliorum, qui cum eo crucifixi erant. Illae non sunt nunc in ecclesia, sed foris stant sub tecto extra ecclesiam. Et ibi secus est ille hortus, in quo erat sepulchrum salvatoris. Illud sepulchrum fuerat in petra excisum, et illa petra stat super terram, et est quadrans in imo et in summo subtilis. Et stat nunc in summitate illius sepulchri crux, et ibi supra nunc aedificata est mirabilis domus, et in orientali plaga in illa petra sepulchri est ostium factum, per quod intrant homines in sepulchrum orare. Et ibi est intus lectus, ubi corpus Domini jacebat. Et ibi stant in lecto quindecim craterae aureae cum oleo ardentes die noctuque. Ille lectus, in quo corpus Domini jacebat, stat in latere aquilonis intus in petra sepulchri, et homini est in dextra manu, quando intrat in sepulchrum orare. Et ibi ante januam sepulchri jacet ille lapis magnus quadrans in similitudine prioris lapidis, quem angelus revolvit ab ostio monumenti.

XIX. Willibaldus aegrotus, ecclesia sancta Sion, porticus Salomonis, piscina probatica.

Et illuc veniebat in festivitate sancti Martini episcopus noster. Et cito ut illuc venit, coepit

aegrotare, et jacebat infirmus, usque una hebdomada erat ante natalem Domini. Et tunc quando aliquid recreatus fuit et de infirmitate melius habebat, surgit et abiit ad illam ecclesiam, quae vocatur sancta Sion. Illa stat in medio Jerusalem. Illic orabat, et inde ibat in porticum Salomonis. Ibi est piscina, et illic jacent infirmi, exspectantes motionem aquae, quando angelus veniret et moveret aquam, et tunc, qui primum in illam descenderet, sanaretur: ubi Dominus dixit paralytico: *Surge, tolle grabatum tuum et ambula.*

XX. Columna memorialis, ubi judaei corpus s. Mariae tollere voluerunt, translatio ejus, sancta Sion.

Similiter et ipse dixit, quod ante portam civitatis staret magna columna, et in summitate columnae stat crux ad signum et ad memoriam, ubi judaei volebant tollere corpus sanctae Mariae. Cumque illi undecim apostoli, tollentes corpus sanctae Mariae, portarent illud de Jerusalem, et statim cum ad portam venirent civitatis, judaei voluerunt comprehendere illud. Statimque illi homines, qui porrigebant brachia ad feretrum

et eam tollere conabantur, retentis brachiis, quasi glutinati inhaerebant in feretro, et non poterant se movere, antequam Dei gratia et apostolorum petitione iterum resoluti fuerant, et tunc eos reliquerunt. Sancta Maria in illo loco in medio Jerusalem exivit de saeculo, qui nominatur sancta Sion. Et tunc apostoli undecim portaverunt illam, sicut prius dixi, et tunc angeli venientes tulerunt illam de manibus apostolorum et portaverunt in paradisum.

XXI. Vallis Josaphat, ecclesia et sepulchrum s. Mariae, ecclesia, ubi Dominus oravit, ecclesia ascensionis in monte Oliveti.

Et inde descendens episcopus Willibaldus venit ad vallem Josaphat. Illa stat juxta Jerusalem civitatem in orientali plaga. Et in illa valle est ecclesia sanctae Mariae, et in ecclesia est sepulchrum ejus non de eo, quod corpus ejus ibi requiescat, sed ad memoriam ejus. Et ibi orans ascendit in montem Oliveti, qui est ibi juxta vallem in orientali plaga. Illa vallis est inter Jerusalem et montem Oliveti. Et in monte

Oliveti est nunc ecclesia, ubi Dominus ante passionem orabat, et dixit ad discipulos: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Et inde venit ad ecclesiam in ipso monte, ubi Dominus ascendit in coelum. Et in medio ecclesiae stat de aere factum sculptum ac speciosum, et est quadrans. Illud stat in medio ecclesiae, ubi Dominus ascendit in coelum. Et in medio aereo est factum vitreum quandrangulum, et ibi est in vitreo parvum cicindulum, et circa cicindulum est illud vitreum undique clausum. Et ideo est undique clausum, ut semper ardere possit in pluvia, sed et in sole. Illa ecclesia est desuper patula et sine tecto, et ibi stant duae columnae intus in ecclesia contra parietem aquilonis et contra parietem meridialis plagae. Illae sunt in memoriam et in signum duorum virorum, qui dixerunt: *Viri galilaei, quid statis aspicientes in coelum?* Et ille homo, qui ibi potest inter parietem et columnas repere, liber est a peccatis suis.

XXII. Locus pastorum, Bethlehem, spelunca et ecclesia nativitatis Domini.

Inde venit in locum, ubi angelus pastoribus apparuit, dicens: *Annuncio vobis gaudium*

magnum, et reliqua. Et inde venit in Bethlehem, ubi Dominus natus est, septem milliariis ab Jerusalem. Ille locus, ubi Christus natus est, quondam fuit spelunca sub terra, et nunc est quadrangula domus in petra excisa, et est terra circumquaque effossa et inde projecta. Et ibi supra nunc est aedificata ecclesia. Et ubi Dominus natus est, ibi stat supra nunc altare, et aliud altare minus factum est ideo, quod illi, quando volunt ibi intus missam celebrare in spelunca, tollentes illud altare minus, portant ibi intus illud tempore, quando missam celebrant, et iterum levant illud foras. Illa ecclesia, ubi Dominus natus est, quae ibi supra stat, est in similitudine crucis aedificata, gloriosa domus.

XXIII. Thecua, laura et monasterium s. Sabae.

Et ibi orantes pergebant inde, et venerunt in villam magnam, quae vocatur Thecua, ad illum locum, ubi infantes quondam occisi fuerant ab Herode. Et ibi est nunc ecclesia, et ibi requiescit unus de prophetis. Et tunc venit inde in vallem lauram. Ibi est monasterium magnum, et ibi sedet

abbas ad monasterium, et ille januarius ecclesiae aliique monachi multi, qui ibi sunt in ipso monasterio, et sedent circa vallem in oneo rupis montis. Et habent illi excisa in saxosa rupe montis parva receptacula ubi et ubi. Ille mons est in gyro circa vallem. Et monasterium est aedificatum in valle, et ibi requiescit sanctus Saba.

XXIV. Ecclesiola, ubi Philippus eunuchum baptizavit, Gaza, s. Matthias, s. Zacharias, Hebron.

Inde venerunt ad locum, ubi Philippus baptizavit eunuchum. Et ibi est ecclesia parva in valle magna inter Bethlehem et Gazam. Et inde ibant ad Gazam, ubi est sanctus locus. Et illic orantes ibant ad sanctum Matthiam. Ibi est magna gloria dominica. Cumque sacra missarum solemnia ibi fuissent celebrata, episcopus noster Willibaldus, stans ibi ad missam, lumen oculorum amisit et coecus fuit duos menses. Et inde ibant ad sanctum Zachariam prophetam, non patrem Johannis, sed alium prophetam. Et inde tunc ibat ad castellum Aframia. Ibi requies-

cunt tres patriarchae, Abraham, Isaac et Jacob cum uxoribus suis.

XXV. Jerusalem, Diospolis (ad s. Georgium), ecclesia s. Petri in Joppe, mare Magnum, Tyrus, Sidon, Tripolis, Libanus mons, Damascus, Caesarea Philippi.

Et inde venit iterum in Jerusalem, et introiens in ecclesiam, ubi sancta crux Domini inventa fuerat, aperti sunt oculi ejus et visionem recepit. Et ibi aliquantulum temporis manens pergebat inde, et venit in locum Diospolim ad sanctum Georgium. Illud est decem milliariis ab Jerusalem. Et inde venit ad aliam villam. Ibi est ecclesia sancti Petri apostoli, et illic suscitavit viduam sanctus Petrus, quae fuit nominata Dorcas. Et ibi orans pergebat et venit ad mare Adriaticum, longe ab Jerusalem, ad urbes Tyrum et Sidonem. Sex milliaria sunt inter illas duas urbes, et stant in littore maris. Et inde venit ad urbem Tripolim in littore maris. Et inde pergit super Libanum montem, et venit in Damascum. Et inde venit ad Caesaream.

XXVI. Jerusalem, Emesa, Salamaida, ubi diu infirmus, iterum Emesa, Damascus.

Et inde venit tertia vice ad Jerusalem, et ibi fuit totam hiemem. Et inde pergit super CCC millia ad urbem Emesam in Syria, et inde venit ad urbem Salamaitha. Illa est in extremis finibus Syriae, et ibi erat ille totum quadregesimae tempus, quia infirmus fuit et non poterat pergere. Socii ejus, qui cum eo erant in comitatu, perrexerunt ad regem sarracenorum, nomine myrmumni, et voluerunt rogare illi epistolam, ut pergerent, et non poterant invenire regem, quia ipse fugerat, foras extra regionem illam, infirmitatem atque cladem, quae erat super regionem illam. Cumque illi non invenirent regem, veniebant iterum, et illic morantes simul in Salamaitha, usque dum una esset hebdomada ante pascha.

Tunc venerunt iterum ad Emesam, et rogaverunt illum praesidem dare illis epistolam. Et dedit illis epistolam, duobus et duobus, quia illi non poterant simul pergere, sed duo et duo, quia facilius sic potuerunt alimenta obtinere illis. Et tunc venerunt in Damascum.

XXVII. Jerusalem, Sebastia, ecclesia super puteum, ubi Dominus aquam postulavit a samaritana, mons Garizim, villa magna.

Et inde venerunt quarta vice ad Jerusalem. Et ibi manentes aliquantum tempus, venerunt ad urbem Sebastiam, quae prius erat Samaria vocata. Sed postquam illa confracta fuerat, construebant iterum unum castellum, ubi prius erat Samaria, et vocabant illud castellum Sebastiam. Et ibi requiescunt nunc sanctus Johannes Baptista et Abdias et Helisaeus propheta. Et ibi est puteus ille prope castellum, ubi Dominus postulavit aquam bibere a samaritana muliere. Et super illum puteum nunc est ecclesia, et ille mons est ibi, in quo adorabant samaritani. Et illa mulier dixit ad Dominum: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et tu dicis, quod in Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Tunc illic orantes perrexerunt super samaritanorum regionem in extremis finibus illorum in villam magnam unam. Ibi erant unam noctem.

XXVIII. Campus Esdrelon, Ptolemaida, promontorium Album cum turri Libani, Tyrus, fraudatio cum petrae oleo.

Et inde perrexerunt super campum magnum olivarum plenum, et pergit cum illis unus aethiops cum duobus camelis et uno mulo, qui ducebat unam mulierem per silvam. Cumque perrexissent, obviavit illis unus leo, qui, aperto ore rugiens rancusque eos rapere ac devorare cupiens, valde minabatur illis. Tunc ille aethiops dixit ad illos: Nolite timere vos, sed pergamus inante. Statimque illi pergentes appropinquaverunt ad illum. Ast ille cito, omnipotentis altithroni Dei adminiculo, in aliam partem divertit, et latabat illis viam, ut pergerent. Et sic dixerunt, ut posteaquam inde pergebant, post pusillum audiebant illum leonem magnum mugitum dare, ita, ut rancus multos devoraret illorum hominum, qui pergebant olivarum colligere fructus. Inde pergentes venerunt ad urbem, quae vocatur Talamaida, in littore maris. Et inde ambulantes venerunt ad caput Libani, ubi ille mons in mare vadit, et est promontorium.

Ibi est turris Libani. Et qui illuc venerit non habens cartam, non pertransit locum, quia in custodia est ille locus, et est claustrum, sed cito si venerit sine carta, tollunt illum cives et mittunt ad urbem Tyrum. Ille mons est inter Tyrum et Talamaidam. Et tunc venit iterum episcopus ad Tyrum.

Episcopus Willibaldus prius, quando erat in Jerusalem, emebat sibi balsamum et replebat unam munerbam. Tollit unam cannam, quae fuit concava et habuit imum. Illam replevit de petrae oleo, et fecit intus in munerbam, et secuit illam cannam parem munerbae, ita ut in margine ambae erant similes plane, et sic claudebat os munerbae. Cumque venissent illi ad urbem Tyrum, illi cives urbis tollentes eos constringebant et omnem scirfam eorum exquirebant, ut reperirent, si aliquid habuissent absconditum. Et si aliquid invenissent, cito illos punientes martyrizarent. Cumque omnia exquirentes nihil invenissent nisi munerbam, quam habuit Willibaldus, illam aperientes odorabant, quod intus fuisset. Cumque odorabant petrae oleum, quia intus in canna fuerat supra, et balsamum,

quia intus erat in munerba subtus petrae oleum, non reperierunt, et sic eos reliquerunt.

XXIX. Constantinopolis, Nicaea.

Multos dies erant ibi exspectantes navem, quando parata fuerat. Et postea tunc navigaverunt totam hiemem a natali sancti Andreae apostoli usque unam hebdomadam ante pascha. Tunc venerunt in Constantinopolim urbem, ubi requiescunt tres sancti, Andreas et Timotheus et Lucas Evangelista, in uno altari. Et Johannes, ille os aureum, requiescit ibi coram altari, ubi presbyter stat, quando missam facit: ibi est sepulchrum ejus. Ibi erat episcopus noster duos annos, et habebat receptacula intus in ecclesia, ut quotidie posset aspicere, ubi sancti requiescebant. Et inde venit ad urbem Nicaeam, ubi olim habebat caesar Constantinus synodum. Et ibi fuerunt ad synodum trecenti decem et octo episcopi: illi omnes habebant synodum. Et illa ecclesia similis illi ecclesiae in monte Oliveti, ubi Dominus ascendit in coelum. Et in illa ecclesia erant imagines episcoporum, qui erant ibi in synodo. Et ille Willi-

baldus pergebat illic a Constantinopoli, ut videret, quomodo esset facta illa ecclesia, et iterum remeavit ad Constantinopolim.

XXX. Syracusae, Catana, Rhegium, infernus Theoderici in insula Vulcani.

Et, post duos annos, navigaverunt inde cum nunciis papae et caesaris in insulam Siciliam, ad urbem Saracusam. Et inde venit ad urbem Catanam, et inde venit ad Regiam, civitatem in Calabria. Et inde navigaverunt ad insulam Vulcaniam. Ibi est infernus Theoderici. Cumque illuc venissent, ascendebant de navi, ut viderent, qualis esset infernus. Statimque Willibaldus curiosius volens videre, qualis esset intus ille infernus, volebat ascendere in montis cacumen, ubi infernus subtus erat, et non poterat, quia favillae de tetro tartaro usque ad marginem ascendentes glomeratae illic jacebant, et, ad instar nivis, quando de coelo nivans candidas nivalesque cadentes catervas de aëreis aetherum arcibus coacervare solet, ita favillae coacervatae in apice montis jacebant, et ascensum Willibaldi prohibebant. Sed tamen tetram atque

terribilem horrendamque eructuantem de puteo flammam erumpere videbat, ad instar tonitrui tonantis. Sic flammam magnam et fumi vaporem valde sublime in altum ascendentem terribiliter intuebatur. Ille pumex, quem scriptores habere solent: illum videbat de inferno ascendentem et cum flamma projectum atque in mare arcitum et tunc iterum de mari projectum in aridam, et homines tollunt eum et inde ducunt.

XXXI. Insula Lipara cum ecclesia s. Bartholomaei apostoli, dein montes Didymi, Neapolis, Capua, Teanum, Casinum.

Statimque post, istis horribilis seu terribilis ignis flagrantiae vaporibus flammivomis et fumi foetidis mirabilis, visionum spectaculis expleratis, inde levantes se navigaverunt ad ecclesiam s. Bartholomaei apostoli, quae stat in littore maris, et venerunt ad illos montes, qui sunt nominati Didymi. Et ibi orantes manebant unam noctem illic. Et inde navigantes venerunt ad urbem, quae vocatur Neapolis. Ibi erant multos dies. Ibi est sedes archiepiscopi, et magna dignitas ejus illic

habetur. Et ibi est prope castellum, ubi requiescit sanctus Severinus. Et inde venit ad urbem Capuam. Et ille archiepiscopus misit eum ad aliam urbem, ad illum episcopum. Et ille episcopus misit eum ad urbem Tianam, ad illum episcopum. Et ille episcopus misit eum ad Sanctum Benedictum. Tunc erat autumnus, quando venit ad sanctum Benedictum.

XXXII. Monasterium s. Benedicti, amnis Rapidus, vita coenobialis.

Et tunc fuerant septem anni, quod de Roma transire coepit, et omnium erant decem anni, quod de patria sua transivit. Cumque venerandus vir Willibaldus et Tidberchtus, qui cum eo pergebat per omnia, perveniebant ad Sanctum Benedictum, non reperiebant ibi nisi paucos monachos et abbatem nomine Petronacem. Statimque ille magno mentis moderamine et dogmatum ingenio felicem fratrum contuberniam, sedulis disputationibus admonitus, non solum verbis, sed moribus venustatis, visitando docebat, et rectae constitutionis formam et coenobialis vitae normam in semet ipse osten-

dendo praebebat, ita, ut omnium amorem seu timorem in ipsum provocando accersisset. Et in primo anno illuc veniens, cubicularius fuit ecclesiae, et in secundo erat decanus in monasterio. Et postea octo annos fuit portarius in duobus monasteriis: quatuor annos erat portarius in illo monasterio, quod stat supra in monte valde excelso, et alios quatuor erat in alio monasterio, quod infra stat juxta amnem Rapidum. Et ab illo monasterio sunt duo milliaria ad aliud monasterium, quod stat in monte.

Transacta itaque tunc decem annorum intercapedine, venerandus ille vir Willibaldus sacram sancti Benedicti regularis vitae institutionem, quam omnipotentis Dei auxilio illorumque adminiculo, quos super longa locorum stadia et super vastas marginum vias in redemtionem animae et in opem praesentis vitae requirebat, omni modo, prout fore possit, observare conabatur. Et non solum ipse, sed et alios cum illo in veneranda regularis vitae vestigio praeeundo perducebat.

XXXIII. Roma; coram papa peregrinatio breviter perstringitur.

Post haec itaque tunc presbyter, qui, de Hispania veniens, ad Sanctum Benedictum ibi manebat, licentiam rogabat abbatem Petronacem ad Romam pergere. Statimque ille, licentia postulata, rogabat Willibaldum, ut cum eo pergeret et illum duceret ad sanctum Petrum. Et ille statim petitionibus ejus consensum seu effectum promittebat. Cumque illi pergerent, ad Romam venerunt atque, illico basilicam sancti Petri intrantes, sacra coelestis clavicularii postulaverunt praesidia illiusque se commendabant pio precum patricinio. Tunc ille sacer apostolicae sedis pontifex Gregorius III., venerandum virum Willibaldum illic esse comperiens, praecepit illum ad se venire. Cumque illic venisset ad sanctum summi sacerdotii pontificem, statim prono vultu in terram se vergebat et illum salutabat. Protinusque ille pius populorum speculator piis verborum vicissitudinibus itineris sui ordinem investigare coepit ab illo: quomodo septuplum annorum calculum in externis terminis telluris

probando peragraret, aut quomodo multa temporum spatia perniciosas paganorum pravitates penetrando evaderet, diligenter ab illo sciscitabatur.

In loco Calvariae, dum in cruce pateretur hostia mundi, latroni pendenti ad dextram, ab eo petenti veniam, stolam immortalitatis promisit. Crucis in patibulo perforatus lancea sanguinem emisit et aquam: ex stilla quorum aperti sunt oculi Longini, qui eum percusserat motu pietatis et confessionis, ne videlicet Jesus diutius vivens torqueretur. Domino nostro sic in crucis patibulo exspirante et animam suam sponte deponente, velum templi scissum est a summo usque deorsum, et eadem petra, in qua crux erat defixa, in ea parte, qua tangebatur sanguine, est per medium fissa, per quam fissuram sanguis ejus fluxit ad inferiora, in quibus dicitur a quibusdam Adam fuisse sepultum et sic in sanguine Christi baptizatum. Ad cujus rei designationem dicunt, quasi

caput mortuum ubique depingi ad pedes crucifixi; sed nihil est aliud, Adam in sanguine Christi baptizatum, quasi per sanguinem Christi redemtum, cum in Hebron scriptura referat eum fuise sepultum. Per deformem autem hominis faciem, quae solet apponi subtus ad pedes crucifixi, mors potius et ejus destructio designatur. Unde Dominus: *O mors ero mors tua*, id est, destructio tua. Locus quidem Calvariae est ad dextram in introitu majoris ecclesiae, in cujus superiori parte scissura ejusdem petrae celebris cum magna solemnitate veneratur et adhuc hodie advenientibus manifeste ostenditur. Eadem pars superior optimo musivo opere pulchre depicta; continetur passio Christi et ejus sepultura cum prophetarum testimonio gestae rei hincinde consono.

Nota, quod in eodem loco, sive crux fuerit infixa in rotundo foramine, quod adhuc patens ostenditur et in quod oblationes immittantur fidelium, sive in parte ea, ubi hastile cujusdam rotundi lapidis erectum ostenditur, ut quidam asserunt, et ut plus, quod ad situs positionem et ad sanguinis ex dextro latere ad rimam petrae emissionem, congruum et idoneum esse videtur, facies

Domini pendentis in cruce, ex positionis necessitate, versus orientem declaratur posita fuisse.

Juxta eundem locum in superiori parte ad dextram est altarè situm, in honore dominicae passionis consecratum, et totus locus ille denominatur ab eadem passione. Inferior vero pars ejusdem Calvariae subtus continet altare, et vocatur ad sanctum sanguinem, quia eo usque per rimam petrae sanguis Domini dicitur fluxisse, qui locus hodie retro idem altare designatus est per quamdam concavitatem ejusdem petrae, ubi dependet ampulla cum continua illuminatione.

Extra in introitu Calvariae (versus leguntur):

Hic locus insignis Calvaria sanctus habetur
pro duce, pro pretio, pro cruce, pro lavacro.
Nempe Jesu cruor et titulus, sacra corporis unda
nos salvat, redimit, protegit atque lavat.

11. Chorus dominorum, meditullium terrae, Emmaus, lavatio pedum in Sion.

In medio choro dominorum, non longe a loco Calvariae, est quidam locus elevatione tabu-

larum de marmore et reticulorum ferreorum concatenatione in modum altaris designatus, infra quas tabulas in pavimento, orbiculis quibusdam factis, meditullium terrae dicunt designatum, juxta illud: *Operatus est salutem in medio terrae.* In eodem quoque loco post resurrectionem dicitur Dominus apparuisse beatae Mariae Magdalenae, et idem locus habetur in magna veneratione, lampade etiam intus dependente. In eodem quoque loco quidam asserunt, quod Joseph corpus Jesu a Pilato impetravit; eodem die, hoc est, feria sexta sublatum de cruce lavit reverende, pretiosis liquoribus atque aromatibus condiens involutum in sindone munda; haud longe sepelivit in horto, in monumento, quod novum sibi de rupe sculpserat. Inde descendit ad inferos, ad liberandum hominem. In eodem loco surrexit Dominus vere a mortuis, leo de tribu Juda, morte subacta. Ibi angelus Domini sanctis mulieribus apparuit, jam ab ostio monumenti lapide revoluto, Jesumque vere resurrexisse a mortuis nunciavit, et ait: *Ite, nunciate fratribus meis,* et iterum: *Dicite discipulis ejus, et Petro.*

Eodem die, declinante jam ad vesperam, peregrini sub specie Christus latens apparuit duobus

discipulis in via sub conquestu de morte illius tendentibus Nicopolim, id est Emmaus, oppidum VI. milliario ab Jerusalem contra occidentem: quem et ibi secum receptum in hospitem recognoverunt in fractione panis; sed statim disparuit. Deinde omnibus apparuit apostolis absque Thoma in monte Sion januis clausis, dicens eis: *Pax vobis*. Octavo quoque die in monte eodem apparuit Thomae cum reliquis discipulis, quando ei vulnera sua palpanda obtulit. Quo facto Thomas intulit: *Dominus meus et Deus meus*. Hae revelationes per picturam demonstrantur factae in loco montis Sion, scilicet, in crypta majoris ecclesiae, ubi etiam depingitur Dominus noster pedes discipulorum suorum lavisse, cum manifesta utriusque facti descriptione. Post resurrectionem etiam secus mare Tiberiadis et in mari ter discipulis suis Jesus se manifestavit, et praeter haec alibi multoties ad comprobationem suae resurrectionis jam factae et nostrae resurrectionis adhuc futurae.

12. Monumentum ad sepulchrum Domini, altare ad s. sepulchrum, epigrammata, ecclesia nova, chorus dominorum, altare resurrectionis, processio.

Dispositio monumenti, in quo continetur se-

pulchrum Domini, fere rotundam habet formam, intus musivo opere decoratam. Patet ab oriente per introitum parvi ostioli, ante quod habet protectum fere quadratum cum duabus januis. Per unam intromittuntur ingressuri monumentum ad sepulchrum, per alteram emittuntur egressuri. In eo quoque protecto resident custodes sepulchri. Et tertium ostiolum habet versus chorum. Eidem monumento ab occidente, videlicet ad caput sepulchri, forinsecus appositum est altare cum quadam quadrata superaedificatione, cujus parietes tres de reticulis ferramenti pulchre compositis sunt, et vocatur illud altare ad sanctum sepulchrum. Idem monumentum satis amplum habet super se quasi ciborium rotundum et superius de argento coopertum, in altum elevatum versus foramen illud amplum in majori illo aedificio superius patulum: quod aedificium circulariter cum forma rotunda, circa monumentum satis amplum, in extremo habet continuum parietem diversis imaginibus sanctorum large depictum et ornatum pluribusque lampadibus illuminatum. In strictiori ambitu ejusdem majoris aedificii octo columnae marmoreae rotundae et totidem bases quadratae, totidem tabulis qua-

dratis marmoreis forinsecus ornatae et circumquaque erectae sustinent molem superiorem sub tecto, quod, ut diximus, patulum est in medio.

Sequuntur aliqui versus, qui in locis diversis leguntur.

In superliminirari ecclesiae sancti sepulchri:

Quid, mulier, ploras? en jam quem quaeris, adoras.
Me dignum recoli, jam vivum tangere noli.

In superliminari introitus interioris ad sepulchrum Domini:

Christo surgenti locus et custos monumenti
angelus et vestis fuit, estque redemtio testis.

Intus ad depositionem Domini:

A caris caro cara Dei lacrimata levatur
a cruce; pro miseris rex pius haec patitur.

Intus prope ad Domini sepulturam:

Conditur in tumulo conditus aromate Christus,

tollitur ad superos meriti moderamine justus.
Gaudet homo, trepidant manes, gemit omnis abyssus.
Est excessus Adae Christo veniente remissus.

Item ibidem, sed per medium:

Sub tumulo lapidis dum sic Christus tumulatur,
ejus ad exequias homini coelum reseratur.

Diximus, quod columnae circulariter cum praedicto numero sint appositae; sed modo versus orientem mutata est earum dispositio et numerus propter adjectionem novae ecclesiae, ad quam inde est transitus. Et continet illud novum et de novo additum aedificium satis amplum chorum dominorum et satis longum sanctuarium, continens majus altare in honorem anastaseos, id est, sanctae resurrectionis, consecratum, quod et superius apposita pictura in opere musivo declarat. Continetur enim in ea imago Christi, seris confractis inferni, resurgentis, antiquum patrem

nostrum Adam inde extrahentis. Extra hoc altaris sanctuarium et intra claustri ambitum continetur satis latum spatium circumquaque tam per hoc novum, quam per antiquum praefati monumenti aedificium processioni idoneum, quae et fit singulis dominicis noctibus a pascha usque ad adventum Domini in vesperis ad sanctum sepulchrum, cum antiphona: *Christus resurgens,* cujus etiam antiphonae textus extra in extremo margine monumenti litteris in argento elevatis continetur. Finita ea antiphona per cantum, cantor statim incipit: *Vespere autem* etc., cum psalmo: *Magnificat*, et cum collecta de resurrectione: Omnipotens sempiterne, praemisso versiculo: Surrexit Dominus de hoc sepulchro. Similiter per hoc tempus omni die dominico missa celebratur: Resurrexi.

13. Claustrum dominorum, crypta cum altare s. Helenae, consecratio ecclesiae s. sepulchri, quatuor altaria, chorus dominorum, dissensio alemannorum et francorum.

In capite etiam ejusdem ecclesiae novae versus orientem, juxta claustrum dominorum, est

locus in profundo, in modum cryptae, cum magna satis serenitate, in quo regina Helena crucem Domini dicitur reperisse, in cujus Helenae honorem ibidem continetur altare consecratum: quae regina majorem ejusdem ligni sacri partem secum detulit Constantinopolim; reliqua vero pars Hierosolymis relicta diligenter et reverenter servatur in quodam loco, in altera parte ecclesiae, ex opposito loco Calvariae.

Ejusdem loci, licet sanguine Christi ibidem effuso jam dudum consecrati, in modernis temporibus, licet ex superabundanti, facta est a viris venerabilibus consecratio quinto decimo die julii. Unde et tales versus sub quodam in litteris deaurato opere propositis adhuc testantur ibidem conscripti:

Est locus iste sacer sacratus sanguine Christi.
Per nostrum sacrare sacro nil additur isti.
Sed domus huic sacro circum superaedificata
est quinta decima quintilis luce sacrata.

Eodem quoque die, in eodem mense, licet longe jam anteriori tempore, cum jam dudum eadem civitas sancta sub dominatu sarracenorum diversorum generum detineretur captiva, ab exercitu christianorum est liberata, ad cujus liberationis commemorationem eundem diem post consecrationis renovationem cum spirituali officio reddunt celebrem in priori missa decantando: *Laetare, Jerusalem;* majorem vero missam celebrant de dedicatione: *Terribilis est locus.* Nam eodem die quatuor etiam altaria in eadem ecclesia sunt consecrata, scilicet, altare majus et illud superius in Calvaria et duo in latere ecclesiae ex opposita parte, unum videlicet in honorem sancti Petri et aliud in honorem sancti Stephani protomartyris.

In sequenti die solemnem faciunt tam in eleemosynis, quam in orationibus commemorationem omnium fidelium defunctorum, praecipue occasione in expugnatione urbis occisorum, quorum maxime sepultura apud portam auream celebris habetur. In tertio die anniversarium ducis felicis memoriae et egregii Gotefridi, illius sanctae expeditionis principis et magistri, stirpe alemanorum oriundi,

tota civitas solemniter observat cum larga eleemosynarum in majori ecclesia distributione ex sui ipsius adhuc viventis dispositione.

Verumtamen, quamvis sic ibidem de suo honoretur, tamen expugnatio civitatis non ei cum alemannis, non minime in ea expeditione laborantibus et exercitatis, sed solis adscribitur francis. Unde etiam detractores nostrae gentis epitaphium illius famosi Wiggeri, per multa fortia facta approbati, quia non poterant eum denegare esse alemannum, deleverunt et cujusdem militis de Francia superposuerunt, sicut adhuc a praesentibus videri potest; nam ejus sarcophagus extra in angulo quodam inter majorem ecclesiam et sancti Johannis Baptistae capellam adhuc hodie exstans apparet, deleto inde nomine suo et apposito alieno. Ad comprobationem et indicium despectus virorum nostrorum et ad commendationem francorum tale epigramma ad monumentum in latere extra legitur appositum:

Anno centeno milleno quo minus uno
virginis a partu, Domini, qui claruit, ortu,

quindecies julio jam phoebi lumine tacto,
Jerusalem franci capiunt virtute potenti.

Contra quod ego:

Non franci, sed francones, gladio potiores,
Jerusalem sanctam longo sub tempore captam
a paganorum solvere jugo variorum.
Franco, non francus, Wigger, Guntram, Gotefridus
dux, argumento sunt haec fore cognita vero.

Quamvis autem dux Gotefridus et frater ejus Balduinus, qui post ipsum in Jerusalem rex est constitutus, quod ante eum dux humilitatis causa de se fieri recusavit, de nostris essent partibus, tamen quia, nostratum paucis cum eis remanentibus et aliis quampluribus magno desiderio et festinatione ad natale solum redeuntibus, tota civitas occupata est ab aliis nationibus, scilicet, francis, lotharingis, normannis, provincialibus, alvernis, italis et hispanis et burgundionibus simul in expeditione convenientibus, sicut nulla pars civitatis etiam in minima platea esset alemannis distributa.

Ipsis non curantibus, nec animum ibidem remanendi habentibus, tacito eorum nomine, solis francis liberatio sanctae urbis adscribitur, qui et hodie cum aliis praenominatis gentibus urbi praefatae, adjacenti provinciae dominantur. Quae utique christianitatis provincia jam dudum suos terminos ultra Nilum versus meridiem et ultra Damascum versus septentrionem extendisset, si tanta copia alemanorum, quanta est istorum, adesset. Sed, his impraesentiarum omissis, ad propositam materiam revertamur.

14. **Ecclesia ascensionis in monte Oliveti, emissio spiritus sancti in monte Sion, emigratio s. Mariae.**

In monte Oliveti, in eo loco, ubi hodie exstat magna ecclesia, in cujus medio, magno foramine quodam aperto, designatur locus ascensionis dominicae, a quo loco, discipulis suis aliisque viris galilaeis una cum matre sua admirantibus, in coelum nube bajula est elevatus, praemisso ad discipulos mandato, ne ab Hieresolymis discederent, priusquam spiritum paraclitum a patre promissum ad plenariam sui confortationem acciperent. Quod et factum est decimo die ab as-

censione Domini et quinquagesimo die a resurrectione Domini, videlicet in die pentecostes, discipulis in quodam conclavi illius praefati aedificii in monte Sion manentibus, ubi et Dominus noster dicitur coenasse, in completione promissi exspectantibus, quod adhuc in eodem loco pictura exstante de musivo opere in sanctuario, abside ejusdem ecclesiae, demonstratur; nam ibi duodenarius apostolorum numerus cum ipsorum imaginibus, spiritu sancto in forma ignearum linguarum ad capita singulorum descendente, per similitudinem picturae continetur, cum tali epigrammate: *Factus est repente de coelo sonus advenientis* etc.

In eadem ecclesia, ad dextram scilicet in introitu ejus, altare designatur locus cum politis tabulis de marmore in modum ciborii, ubi beata virgo Maria, emisso spiritu, praesenti dicitur migrasse saeculo, ubi et filius suus, Dominus noster Jesus Christus, animam suam in juxta posito pariete, praesentibus apostolis, depingitur assumere. In aedificio autem eidem loco superposito in circuitu talis reperitur superscriptio: Exaltata est sancta Dei genitrix super choros angelorum.

15. **Hakeldama, mons Gion, ecclesia et hospitale s. Johannis, sanctimonialium coenobium s. Mariae majoris, monachorum coenobium ad s. Mariam latinam, monasterium s. Sabae, ecclesia et monasterium s. Jacobi majoris, domus alemannorum.**

His visis et summatim locis, in quibus haec acta sunt cum descriptione etiam aliorum locorum his adjacentium denotatis, ad ipsam etiam sanctam civitatem Jerusalem per sancta nova et venerabilia loca de novo exstructa et in cultum divinum mancipata intra muros describenda redeamus.

Hoc etiam per adjectionem cognito, quod Judas in eadem civitate argenteos accepit pro traditione Domini nostri, cum quibus emtus est ager ille H a k e l d a m a, id est, ager sanguinis, deputatus sepulturae peregrinorum usque in diem hodiernum, qui situs est ad sinistram montis Sion, secus viam, quae ducit Ephrata. Super quem agrum est m o n s G i o n junctus, in quo rex Salomon regium diadema suscepit et alii reges in eodem monte iuungi solebant.

Et nota, quod Dominus noster in medio Jerusalem suscitavit puellam a morte, et in ea multa est operatus miracula. Juxta ecclesiam sancti se-

pulchri, quam superius descripsimus, ex opposito versus meridiem est pulchra ecclesia in honore sancti Johannis Baptistae constructa, cui adjectum est hospitale, in quo per diversas mansiones maxima multitudo infirmorum, tam mulierum, quam virorum, colligitur, fovetur et maximis expensis quotidie reficitur: quorum summa tunc temporis, cum essem praesens, ab ipsis servitoribus hoc referentibus ad duo millia languentium fuisse cognovi, ex quibus aliquando intra noctem et diem plus quam quinquaginta mortui exportantur, iterum atque iterum pluribus de novo accedentibus. Quid plura? Eadem domus tot homines tam extra, quam intus suis sustentat victualibus, praeter infinitam eleemosynam, quae quotidie pauperibus datur ostiatim panem quaerentibus et extra manentibus, quod certe summa sumtuum nequaquam potest deprehendi etiam ab ejus domus procuratoribus et dispensatoribus. Praeter horum omnium siquidem expensam tam in infirmis, quam in pauperibus aliis factam, eadem domus multas universis militaribus rebus instructas pro defensione terrae christianorum ab incursione saracenorum passim per castella sua sustentat personas. Juxta eandem

Johannis ecclesiam est coenobium sanctimonialium in honorem sanctae Mariae constructum, et est fere contiguum in capite cum aedificiis praefatae ecclesiae vocaturque ad sanctam Mariam majorem. Non longe abhinc, in eodem ordine ejusdem plateae, est coenobium monachorum, item in honorem sanctae Mariae constructum et vocatur ad sanctam Mariam latinam, ubi testa vel caput sancti Philippi apostoli in magna veneratione habetur, et etiam cum devotione advenientibus et id postulantibus ostenditur.

Juxta illam plateam, quae a porta David versus templum per descensum dirigitur, in latere dextro, prope turrim David est coenobium monachorum armenorum in honore sancti Sabae, abbatis reverendissimi, pro quo etiam adhuc vivente beata virgo Maria, multa fecit miracula, constructum. Ibidem, non longe abhinc, per descensum ultra aliam plateam est magna ecclesia in honorem sancti Jacobi majoris constructa, ubi monachi habitant armeni, et habent etiam ibidem magnum hospitale pro colligendis pauperibus suae linguae. Ibi quoque in magna veneratione habetur testa ejusdem apostoli; fuit enim ab Herode decollatus,

cujus corpus discipuli sui in Joppe navi impositum in Galiciam detulerunt, capite suo in Palaestina remanente. Eadem testa adhuc in eadem ecclesia peregrinis advenientibus ostenditur.

In descensu ejusdem plateae, versus portam, qua itur ad templum, ad dextram manum est quoddam diverticulum per longam porticum, in qua via est hospitale cum ecclesia, quae fit de novo in honore sanctae Mariae, et vocatur domus alemannorum, cui pauci vel nulli alterius linguae homines aliquid boni conferunt.

16. **Capella s. Petri ad vincula, porta ferrea, ecclesia et monasterium s. Annae, piscina probatica, ecclesia s. Mariae Magdalenae, forum triplex, arcus, ubi s. Maria quievit, ecclesia s. Charitonis.**

In eadem via versus portam, qua itur ad montem Sion, est quaedam capella in honore sancti Petri aedificata, in cujus crypta satis in profundo abscondita dicitur carcer fuisse, in quo beatus Petrus, ferreis catenis ligatus, custodia militum tam extra, quam intus adhibita, jussu Herodis diligenter servabatur; sed ea diligentia elusa est divina potentia. Nam eadem nocte, angeli obse-

quio, inter medios custodes, vinculis ferreis ruptis, ultro apertis ostiis tam carceris, quam civitatis, beatus Petrus angeli conductu abivit illaesus, dicens: *Nunc scio vere, quia misit Dominus angelum suum* etc. In introitu ejusdem ecclesiolae de eodem facto ibidem miraculo tales leguntur appositi versus:

Vestibus indutus, Petre, surge, recede solutus;
namque catenarum sunt vincula rupta tuarum,
nunc scio re certa, cum porta mihi sit aperta.
O pietas Christi, quoniam me salvificasti.

In cavea ejusdem ecclesiae ad vincula, sancti Petri festo ibidem existente celebri, missam celebravi cum collecta merito ibidem sic prolata: Deus, qui beatum Petrum apostolum a vinculis in hoc loco absolutum illaesum abire fecisti etc. Ecclesiola eadem modica est, nec adeo reditibus ditata vel cultu ornata, sicut tantum divinum miraculum et tantum principem apostolorum deceret. Porta illa, quae dirigitur

versus montem Sion, vocatur porta ferrea, quae ultro fuit aperta angelo et Petro.

In opposito atrii de templo, scilicet versus septentrionem ad portam, qua itur ad vallem Josaphat, est ecclesia magna in honore sanctae Annae constructa, in qua per picturam ostenditur, qua dispositione et admonitione divina ex ipsa et Joachim sit concepta beata virgo, sicut in vita beatae Annae largius cognoscitur, cujus festum in die sancti Jacobi majoris cum magna solemnitate ibidem celebratur: cui praesens interfui. In eadem ecclesia servit Deo collegium sanctimonialium et utinam sacrosanctarum. In exitu ejusdem ecclesiae, ad dextram manum non longe, per diverticulum est probatica piscina, quam tempore Jesu certis terminis angelus Domini solebat movere. Quicunque autem infirmus post motionem aquae prior intrabat, a quacunque detinebatur infirmitate, sanus fiebat. *Πρόβατον* graece pecualis dicitur, eo quod in sacrificiis inde solebant ablui exta pecudum; erat quippe rubea aqua ex hostiis, quae ibi mundabantur. Ante probaticam piscinam languidum sanitati restituit Jesus, dicens ei: *Tolle grabatum tuum et ambula.*

Inde ab eadem platea, quae de porta Josaphat egreditur, sursum in proxima via, quae ab hac declinat platea, ad dextram manum, sursum versus murum civitatis est illa ecclesia in honore sanctae Maria Magdalenae facta, ubi sunt monachi jacobitae, de qua jam diximus, quae dicenda novimus. In praefata platea de porta vallis Josaphat itur per directum versus illam plateam, quae ad portam sancti Stephani ducit, a qua deinde a septentrione versus plateas illas triplices, imo multiplices diversarum rerum venalium repraensatrices, ad frontem majoris sancti sepulchri ecclesiae dirigitur, in medio, inquam, illius plateae est quidam arcus lapideus antiquus ultra eandem plateam incurvatus, sub quo dicitur beata virgo Maria cum felici et beata prole sua adhuc parvula et infantili quievisse et eidem lac ibidem praebuisse. Quae res gesta ibi facta pictura ostenditur, et idem locus, circumaedificatione aliquantula a publico usu discretus, sine ecclesiae appositione venerabilis, sub veneratione debita habetur et colitur.

Item de platea a porta s. Stephani, directa sursum ad latus ecclesiae sancti sepulchri, non multum longe ab ea versus septentrionem, est

parva platea, juxta quam in quadam ecclesia syrorum quiescit sacrum divi Charitonis martyris corpus, quod ibi a syris monachis in magna veneratione habetur, et fere adhuc integrum in quadam lignea arcellula reconditum, elevato cooperculo, peregrinis advenientibus ostenditur. Idem sanctus pater in coenobio suo juxta fluvium Jordanis sito, una cum monachis suis, pro confessione nominis Christi a sarracenis fuit occisus.

17. **Locus lapidationis s. Stephani, carnarium leonis, Gabaa, mons Offensionis, natatoria Siloe, quercus Rogel, capella cum sepultura Jacobi Alphaei, pyramis Josaphat, caveae religiosarum personarum, coenobium in summitate vallis Josaphat, sepultura virginis Mariae.**

Ante portam Jerusalem, quae respicit ad occasum, qua parte liberata fuit urbs sub secundo Israel, saxis obrutus beatus Stephanus protomartyr occubuit: inde translatus in Sion et sepultus inter Nicodemum et Gamalielem et Abibon, postea Constantinopoli, ad ultimum Romae beato Laurentio contumulatus. Unde et in tumulo:

Quem Sion occidit, nobis Bisancia misit.

Ante portam Jerusalem juxta lacum, qui respicit meridiem, cavea illa videtur, in quam leo quidam, jussu Dei omnipotentis, martyrum fere duodecim millia sub Cosroe peremta detulit nocte. Unde et carnarium leonis dicitur.

Secundo milliario ab Jerusalem via, quae ducit Sichem, mons Gabaa in tribu Benjamin.

Milliario a Jerusalem, in accubitu montis Oliveti, mons Offensionis et continuus; dividit autem eos via, quae de Josaphat per Bethphage ducit Bethaniam. Dictus mons Offensionis, eo quod Salomon in eo idolum posuit moloch, adorans eum.

Prope juxta Jerusalem, sub Salomonis regia in accubitu, in valle Josaphat natatoria Siloe, ad quam coecum ab ea illuminatum misit Jesus, ut ab ea lavaret oculos suos. Qui abiens lavit et vidit. Ergo Siloe interpretatur missus. Non ad eandam aquam Naaman, princeps Syriae, missus est, sed ad Jordanem ab Helisaeo propheta, ut in eo ter lotus curaretur a lepra: quam ipse intuens quasi cum indignatione intulit: *Numquid Pharphar et Abana non meliora sunt flumina*, scilicet, nostrae provinciae? Tandem tamen monitis servi sui con-

sentiens, mandatum prophetae implevit, et curatus est. Siloe secundum traditionem syrorum ex Silo manare dicitur. Siloe gurgitem suum cum silentio ducit, quia subterráneum. Juxta Siloe exstitit quercus Rogel, sub qua beatus Isaias sepultus quiescit.

In valle Josaphat sepultus fuit beatus Jacobus Alphaei, qui de templo, ut dictum est, praecipitatus fuit. Est autem in eadem valle pulchra capella, in qua indicium manet sepulturae ejus, his superpositis versibus:

Urgent Alphaei natum sine lege judaei.
Causa necis fit ei nomen amorque Dei.
Alphaei natus de templo praecipitatus
huc fuit allatus et devote tumulatus.

Verum exinde postea fuit apostolus Dei Constantinopolim translatus.

In valle Josaphat sub acuta pyramide rex idem Josaphat tumulatus fuit, a cujus nomine tota vallis sortita est nomen. Interpretatur autem vallis judicii, juxta illud: *Congregabo omnes gentes* etc. Eadem vallis ex omni parte plures habet caveas, in quibus religiosae personae vitam ducunt eremiticam.

Tota vallis pertinet ad coenobium in summitate ejusdem vallis supra rivum torrentis Cedron situm, juxta hortum, in quo saepe Dominus noster cum discipulis suis solebat convenire. In hujus coenobii crypta adhuc hodie ostenditur sepultura beatissimae virginis Mariae, de qua amplius dicemus.

18. Sepultura s. Mariae, capella, epigrammata, Gethsemane.

In eodem die transmigrationis corpus beatissimae virginis Mariae cunctis duodecim apostolis Domini ex sua dispositione tunc praesentibus in ecclesiam vallis Josaphat est delatum et ibidem in medio cryptae, miro tabulatu marmoreo et egregia pictura colore vario exornatae, est honorifice sepultum, cujus sepulturae, licet corpore absente, egregia tam in tabulatu marmoreo, quam in argento et auro in modum ciborii superposita exstat structura: cui tale appositum est epigramma:

Hic Josaphat vallis, hinc est ad sidera callis.
In Domino fulta, fuit hic Maria sepulta.

Hinc exaltata coelos petit inviolata,
spes captivorum, via, lux et mater
eorum.

Benedicto corpore absente, quia, ut dicitur, juxta morem hebraeorum intra octavum diem transitus visitato et inspecto sepulchro, corpus ejus non est repertum. Unde et pie creditur, non tantum animam, sed etiam corpus ejus a dilecto filio suo cum glorificatione fuisse assumtum, quod tamen Hieronymus potius haesitando, quam asserendo videtur innuere in illa epistola: Cogitis me, o Paula et Eustochium etc. Quidquid autem de hoc sit, nos credimus, beatam virginem Mariam ex hoc solo, quod meruit suum portare creatorem, dignam fore omni honore et beatificatione non tantum in anima, sed etiam in corpore, et filium suum summe benevolum et summe potentem id velle et posse. Honoratur quoque et veneratur eadem ejus sepultura ratione cujusdam consortii, ad similitudinem honorificentiae, quae sepulchro dilecti filii sui exhibetur. In introitu ejusdem cryptae talis pictura et scriptura cernitur:

Haeredes vitae, Dominum laudare venite,

per quam vita datur mundique salus reparatur.

Ex parte sinistra imago Hieronymi hanc continet scripturam.

Monstratur autem sepulchrum ejus, cernentibus nobis, usque in praesens in valle Josaphat, in medio, ubi in ejus honore fabricata est ecclesia miro lapideo tabulatu, in qua sepulta fuisse ab omnibus affirmatur. In dextra vero ejusdem introitus imago beati Basilii continet haec:

Matris Christi dignitate
et excelsa potestate
est repertus Julianus,
saevus hostis et profanus;
nam defunctum hunc prostravit,
sicut mater imperavit.
Salvatrici sit reginae
laus et honor sine fine,
quae elegit hic humari.

Haec et alia plurima ad laudem virginis in introitu cryptae per picturam sunt apposita; sed interiori parte in parietibus hinc inde circa tumbam existentibus et in laqueari talis scriptura est apposita, in dextro pariete: Maria virgo as-

sumta est ad aethereum thalamum etc.; postea in circuitu: Vidi speciosam sicut columbam etc., usque: et lilium convallium, ibique subjungitur: Viderunt eam filiae Sion. Hinc certe gloriosa virgo coelos ascendit. Rogo, gaudete, quia ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in aeternum; in anteriori: Assumta est Maria in coelum; ex opposito latere: Exaltata est sancta Dei genitrix etc.; et in medio: Multitudo angelorum adstantium in circuitu circa beatam Mariam in throno residentem, per quam facta via ad coelestia regna declaratur.

In pede montis Oliveti versus civitatem, ubi modo ostenditur sepultura beatae Mariae virginis, erat viculus, qui dicebatur Gethsemane.

19. Bethlehem, praesepe, locus nativitatis, apparitio stellae, sepultura innocentium, sepulchrum s. Hieronymi, locus pastorum, Thecua, ecclesia s. Charitonis, sepulchrum Rahel.

Bethlehem domus panis interpretatur, Bethlehem civitas Judae, quae et Ephrata, nec sine causa, quia de flore nazareno processit in ea fruc-

tus vitae de virgine Maria, videlicet filius Dei vivi, Christus Jesus, qui est panis angelorum totiusque mundi vita. In Bethlehem juxta locum nativitatis praesepe, in quo et ipse infans Jesus latitavit. Unde et propheta: *Cognovit bos possessorem suum et asinus praesepe Domini sui.* Ex quo foenum illud, in quo puer Jesus latitaverat, Romam delatum fuit ab Helena regina et honeste reconditum in ecclesia sanctae Mariae majoris. In loco nativitatis Domini ex musivo opere deaurato hi duo versus leguntur appositi:

Angelicae lumen virtutis et ejus acumen,
hic natus vere Deus est de virgine matre.

In Bethlehem, nova stella duce, venerunt tres reges ab Oriente venerari natum Jesum, et ut regem angelorum adorarent, praesentarunt ei mystica munera, aurum, thus et myrrham. In Bethlehem ejusque finibus jussit Herodes innocentes decollari, quorum maxima pars contra meridiem, quarto milliario a Bethlehem, secundo a Thecua sepulta quiescit. In Bethlehem infra basilicam, haud longe a praesepio Domini, in ca-

verna quadam requiescit corpus beati Hieronymi; Paula quidem et Eustochium, quibus ipse scripsit Hieronymus, similiter in Bethlehem sepultae quiescunt.

Milliario a Bethlehem refulsit stella pastoribus nato Domino eisque apparente angelo et dicente: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Tertio milliario a Bethlehem Thecua, oppidum, ex quo Amos, qui et ibi sepultus quiescit. Quarto milliario a Bethlehem contra meridiem ecclesia beati Charitonis, ubi, ipso transeunte de hoc mundo, monachi ejus, quibus pastor pius praefuerat, cum eo pariter agonizaverunt, quod a Deo devote praescierant, eo quod pater eorum pius exstiterat. Nec post eum vivere volebant ejus amore ferventes, quorum singulorum compagines in ecclesia praedicta videri possunt modo illo, quo se habuerant in desolatione patris eorum agonizantes; translati postea in Jerusalem.

Milliario a Bethlehem, via, quae ducit Jerusalem, Chabratha, locus, in quo, cum Benjamin peperisset Rachel, occubuit, ibique a viro suo Jacob tumulata quiescit, cujus tumulo super-

posuit Jacob duodecim lapides non modicos in testamentum duodecim filiorum suorum: cujus adhuc pyramis a transeuntibus videri potest.

20. Jordanis fluvius, desertum Quarantana, mons Tentationis, fons Helisaei, locus coeci, Jericho, Bethagla, Engaddi.

Dominus noster, cum viginti novem esset annorum et tredecim dierum, ut Lucas ait, inciperetque quasi trigesimum annum, volens circumcisionem finire et veterem hominem aqua sanctificata renovare, venit in desertum ad Johannem, praecursorem suum, et baptizatus est ab eo in Jordane, in eo loco, qui distat ab Jericho lapide tertio: ubi vox patris sui intonuit super eum, dicens: *Hic est filius meus dilectus* etc. Jordanis autem est fluvius, qui a duobus fontibus, scilicet Jor et Dan, qui ad radicem Libani oriuntur et, post longum tractum seorsim fluentes, sub montibus Gelboe conjunguntur, conficitur. Spiritus quoque sanctus in eodem tempore, quando Christus baptizabatur, in specie columbae super ipsum venit, ostendens, eum, non Johannem sanctificandi aquas potestatem habere. Ibidem quoque prope, videlicet secundo

lapide ab Jericho, ad sinistram est desertum, quod Quarantana vocatur, in cujus quadam rupe Jesus quadraginta dierum totidemque noctium jejunium complevit, eumque ibi esurientem tentans diabolus inquit: Dic, ut lapides isti panes fiant. Secundo milliario a Quarantana contra Galilaeam mons excelsus ille, in quo Jesum iterum tentavit, ostendens ei omnia regna mundi, inquiens: *Haec omnia tibi dabo* etc.

Sub Quarantana fontis illius rivulus, quem beatus Helisaeus, ejus sanata sterilitate, de amaro potabilem reddidit. Ante Jericho secus viam coecus mendicans, audiens, quod Jesus transiret, exclamavit: *Jesu, fili David, miserere mei*, qui ab eo illuminari meruit tam exterius, quam interius. Tertio decimo milliario ab Jerusalem contra boream Jericho, ex qua Raab meretrix, quae, hospitata quatuor exploratores filiorum Israel, liberavit, celavit et pavit. Ex qua Zachaeus, qui statura pusillus, audiens Jesum per partes illas deambulantem, sycomorum arborem ascendit, ut illum videret et cum eo loqueretur, se judicans et petens veniam. Ex qua et pueri illi, qui beatum Helisaeum Hierosolymam ascen-

dentem deriserunt exclamantes: *Ascende*, *calve, ascende, calve* etc.

Tertio lapide a Jericho, duobus milliaribus a Jordane Bethagla, quod interpretatur locus gyri, eo quod ibi more plangentium circuissent funus Jacob filii ejus gensque sua, referentes eum de Aegypto in Hebron.

Engaddi in tribu Juda, ubi se abscondit David in solitudine, quae est in Aulone Jericho, hoc est, in regione illa campestri. Vocatur autem vicus ille praegrandis judaeorum Engaddi juxta mare Mortuum, unde et opobalsamum oriri solebat et afferri. Unde et vineae Engaddi nuncupabantur.

21. **Hebron, spelunca duplex, vallis Lacrimarum, ager damascenus, quercus Mambre.**

Ex altera parte Jerusalem, aliquantulum versus meridiem, est civitas Hebron, quae quondam erat metropolis philistinorum et habitaculum gigantum, distans a sancta civitate per dietam unam. Et erat in tribu Juda civitas illa sacerdotalis et fugitivorum sita, scilicet in agro illo, in quo plasmator omnium patrem nostrum Adam plasmavit et inspiravit. Hebron Kariatharbe dicitur, sarracenice

sonat civitas IIII: kariath civitas, arba IIII, eo quod quatuor patres illi reverendi in spelunca duplice in ea fuerint sepulti, Adam, Abraham, Isaac et Jacob, et eorum uxores, Eva, mater nostra, Sara, Rebecca et Lia. Est autem Hebron juxta vallem Lacrimarum sita. Vallis Lacrimarum dicta est eo, quod centum annis in ea luxerit Adam filium suum Abel: in qua, monitus postea ab angelo, cognovit uxorem suam, ex qua deinde genuit filium suum Seth, de cujus tribu Christus erat oriundus. Secundo milliario ab Hebron sepultura Loth, nepotis Abraham. In Hebron habetur ager quidam, cujus gleba rubea est. Haec ab incolis effoditur et comeditur et per Aegyptum venalis asportatur, quae pro specie carissima venditur. Praedictus ager, in quantum late et profunde effossus est, in tantum Dei dispositione, anno finito, redintegratus reperitur.

Juxta Hebron mons Mambre, ad cujus radicem terebinthus illa, quae dirps vocatur, id est, ilex aut quercus, secus quam per multum temporis mansit Abraham: sub qua tres angelos vidit et unum adoravit, hospitioque suscepto, prout dignius potuit, fovit et pavit. Unde et prima

credendi via dicta est. Ilex praedicta ex tunc usque ad tempus Theodosii imperatoris, testante Hieronymo, suum esse dilatavit, et ex illa haec fuisse perhibetur, quae in praesenti ab illic praesentibus videtur et cara tenetur. Licet arida, medicabilis tamen esse probatur in hoc, quod, si equitans quis de ea quamdiu secum detulerit, animal suum non infunditur. In Hebron primo applicuerunt se, causa explorandae terrae promissionis, Josue et Caleph et eorum socii decem. In Hebron regnavit David annis septem et dimidio.

22. Lacus Asphaltites, Segor (Palmaria), bitumen judaicum, Karnaim spelunca, Arabia, mons Sinai, Helim, montes Horeb et Abarim, Idumaea.

Decimo milliario ab Hebron lacus Asphaltites contra orientem, qui et mare Mortuum dicitur, vere mortuum, quia nihil vivum recipit, et mare diaboli, quod instinctu ejus quatuor illae civitates miserrimae, Sodoma, Gomorra, Seboim et Aduma, perseverantes in turpidine sua, igne sulphureo concrematae, in lacum illum subversae sunt.

Supra lacum in accubitu Judaeae Segor, quae

et Bala vel Zara vocatur, quinta de civitatibus illis, precibus Loth de subversione reservata, quae usque nunc ostenditur, et modo Palmaria dicitur. In exitu Segor uxor Loth in salis effigiem fuit mutata, cujus adhuc apparent vestigia. Supra ripam maris praedicti multum aluminis et multum catrani ab incolis reperitur et colligitur, et ex mari bitumen extrahitur, quod judaicum appellatur, multis necessarium. Segor autem modo a compatriotis oppidum Palmae vocatur.

Supra lacum Asphaltitem, in descensu Arabiae, Karnaim spelunca in monte moabitarum, in quem Balac, filius Beor, divinum Balaam adduxit ad maledicendum filiis Israel: qui propter vehemens praeruptum excisus vocatur. Lacus Asphaltites Judaeam dividit et Arabiam. Arabia tempore filiorum Israel solitudo erat, desertum, eremus, terra invia et inaquosa. In ea quidem detinuit eos Dominus annis quadraginta; manna pluens illis ad manducandum, aqua de rupe producta.

In Arabia mons Sinai, in quo Moises quadraginta diebus totidemque noctibus totius cibi expers moratus fuit, in quo Dominus Moisi legem dedit proprio digito suo scriptam in tabulis la-

pideis. In Arabia vallis Moisis, in qua percussit bis silicem duos aquae populo Dei rivulos reddentem, de quibus modo tota illa irrigatur patria. In Arabia praecessit filiis Israel columna ignis per noctem; nubes vero eos vallavit diebus singulis. In Arabia Helim est, ubi filii Israel castra sunt metati, scilicet locus in deserto, ubi duodecim fontes et septuaginta palmas de mari Rubro exeuntes repererunt. In Arabia quadraginta mansiones filiorum Israel. In Arabia mons Horeb, in quo sepultus Aaron requiescit. In Arabia mons Abarim, in quo Dominus Moisen sepelivit, ejus tamen nusquam apparente tumulo. In Arabia mons ille regalis, quem Dominus Balduinus, primus rex francorum in Jerusalem, ad terram illam Christicolis subjugavit, et ad tuendum regnum David firmum reddidit. Arabia jungitur Idumaeae in finibus Bostron. Idumaea terra Damasci. Idumaea tamen sub Syria. Caput Syriae quidem Damascus.

23. Ubi Maria Elisabetham visitavit, Modin, Lydda, Çaesara Palaestina, montes Kain et Carmelus.

Quarto milliario ab Jerusalem contra austrum oppidum illud, in quo morabatur Zacharias tunc

temporis, cum mater Jesu Maria festinans, jam habens in utero filium Dei, venit ad salutandum Elisabeth, cognatam suam, gravidam de Johanne, filio suo, quem et ibi natum fuisse perhibent.

Sexto milliario ab Jerusalem, contra meridiem, via, quae ducit Ramatha, mons Modin, ex quo Mathathias, pater Machabaeorum, in quo sepulti quiescunt, adhuc apparentibus tumulis. Octavo milliario a Modin, via, quae ducit Joppen, Lydda, quae et Diospolis, in qua corpus beati Georgii sepultum fuisse manifestatur, milliario a Ramatha.

Sexto decimo milliario a monte Carmelo contra meridiem Caesarea Palaestina metropolis, ex qua Cornelius centurio, quem in ea baptizavit beatus Petrus et creavit episcopum: in qua et turris Stratonis, in qua Herodes contra adventum Augusti construxit de albo marmore portum. Ipse Herodes turrim, quae Hierosolymis supereminet, quae et turris David dicitur, Josepho attestante, fabricavit eamque Antoniam vocavit.

Octavo milliario a Nazareth contra Carmelum Kain mons, ad cujus radicem, juxta fontem, Lamech, pater Noe, sua sagitta peremit Kain

arcuque suo ducem suum. Unde furore repletus et ira ait: *Occidi virum in vulnus meum et adolescentulum in livorem meum* etc. De Kain Dominus praedixerat: *Omnis, qui occiderit Kain, septuplum punietur.* Septimo milliario a Kain monte mons Carmeli, de quo in Canticis Canticorum: *Collum tuum ut Carmelus:* in quo per plurimum tempus conversari voluit beatus Elias ejusque discipulus Helisaeus cum eo.

24. Phoenicia, Libanus, Tyrus, Sarepta, Sidon, Berytus, Arphat.

Idumaeam et Phoeniciam dividit Libanus: Phoeniciam, in qua Sors, id est, Tyrus, phoenicum nobilissima civitas, metropolis, quae Christum perambulantem in maritima, ut syri asserunt, recipere noluit, quae et, divina testante pagina, martyres Deo reddidit, quorum ejus solius scientia numerum collegit. Tyrus Originem tumulatum celat. Ante Tyrum lapis ille marmoreus haud modicus, super quem sedit Jesus, illaesus a tempore Christi usque ad expulsionem gentium ab urbe, sed postinde fractus a francis et veneticis. Supra vero

residium illius lapidis in honore salvatoris ecclesia quaedam constructa est.

Octavo milliario a Tyro contra septentrionem, supra mare, Sarphen, quod est Sarepta Sidoniae, in quo quondam habitavit propheta Elias, et in quo resuscitavit filium viduae, Jonam videlicet: quae eum cohospitata fuerat et caritate foverat et paverat. Sexto milliario a Sarphen Sidon, egregia civitas, ex qua Dido, quae Carthaginem condidit in Africa. Sexto decimo milliario a Sidone Berytus, opulentissima civitas. In Beryto quaedam salvatoris nostri iconia non multum post passionem ejus, ad ignominiam ejus, a quibusdam judaeis ridiculose cruci fixa sanguinem produxit et aquam, unde et multi in vero crucifixo crediderunt baptizati. Quicunque etiam ex stilla iconiae perruncti, a quacunque gravarentur infirmitate, sani reddebantur. Arphat urbs Damasci.

25. **Damascus, Idumaea, Hus, Sueta, Thema, Naaman, fluvius Jaboc, mons Seir, iterum Damascus, mons Libanus, Pharphar et Abana fluvii, portus s. Simeonis, Antiochia, Paneas, Aulon, Dan, Medan, Jor, mare Galilaeae.**

Damascus in Syria, de qua historia. Da-

mascus caput Syriae, reverenda metropolis. In ea Damascum construxit Heliezer, servus Abrahae, in agro illo, in quo Kain occidit fratrem suum Abel. Damascum habitavit Esau, qui et Seir, et Edom: seir, pilosus, edom, rubeus vel rufus. Ab Edom tota terra illa vocatur Idumaea, de qua in Psalmo: *In Idumaeam extendam calceamentum meum* etc. Est autem Edom vocata, unde propheta: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* Est autem quaedam pars illius terrae Hus, ex qua beatus Job: quae et Sueta, a qua Baldad Suites, in qua et Thema, metropolis in Idumaea. Ex Thema Eliphaz Themanites, in qua Naaman oppidum, a quo Sophar Naamanites. Hi tres consolatores Job.

In Idumaeae finibus, secundo milliario a Jordane, fluvius Jaboc, quo transvadato a Jacob, cum a Mesopotamia rediret, luctatus est cum angelo, qui de Jacob nomen ei mutavit in Israel. In Idumaea mons Seir, sub quo Damascus. Secundo milliario a Damasco locus, in quo Saulo Christus apparuit, dicens: *Saule, Saule, quid me persequeris?* in quo Paulum non modica claritas de coelo circumfulsit. In Damasco baptizavit Sau-

lum Ananias, nomen ei Paulus imponens. De muris Damasci demissus fuit Paulus, persecutorum veritus rabiem.

Libanus interpretatur candidatio, de quo in Canticis Canticorum: *Veni de Libano, columba mea.* Ad radicem Libani oriuntur Pharphar et Abana, fluvii Damasci: sed montes Libani et planities Archados transfluit Abana, magno se mari copulans finibus illis, in quibus beatus Eustachius ab uxore sua privatus et a filiis desolatus recessit; Pharphar per Syriam tendit in Antiochiam, labensque secus muros ejus, decimo milliario ab Antiochia in portu Solim, portu silicet sancti Simeonis, mediterraneo mari se commendat. In Antiochia sedit beatus Petrus apostolus, septem annis pontificali decoratus infula. Ad radicem Libani Paneas civitas sita est, Belinas, quae et Caesarea Philippi. Ad radicem Libani oriuntur Jor et Dan, illi duo fontes, de quibus sub montibus Gelboe Jordanis conficitur. A montibus Gelboe usque ad lacum Asphaltitem vallis, per quam Jordanis labitur, Gorius appellatur sive Aulon, quod hebraeum est vocabulum. Appellatur et vallis illa grandis atque campestris, quae

ex utraque parte vallatur continuis montibus a Libano usque ad desertum Pharan. Dividit autem Jordanis Galilaeam et Idumaeam et terram Bostron, quae et Idumaeae secunda metropolis. Jordanis interpretatur descensus.

Dan fere ab ortu suo subterraneum ducit gurgitem suum usque ad Medan, planitiem illam, in qua satis patenter suum foras remittit alveum. Planities illa Medan vocatur, eo quod Dan in illa medius est, sarracenice quidem sonat illa medan, latine vero platea; forum vero vocatur Medan, eo quod, intrante aestate, innumerabilis ibi populus, secum omnia deferens venalia, convenit, ingensque parthorum et arabum multitudo ad tuendum populum et ad pascendos greges suos in pascuis illis per totam aestatem demoratur. Medan componitur ex med et dan; med sarracenice aqua, dan fluvius. Ex praedicta planitie Dan, se reddens in fluvium, Suetam peragratur, in qua pyramis beati Job, superstes adhuc, a regibus et gentibus solemnis habetur. Dan, contra Galilaeam gentium se obliquans, sub urbe Cedar, secus medicabilia balnea, spineti plana transfluens, Jor copulatur; Jor, haud longe a Paneade, lacum

illius reddit ex se, postea mare Galilaeae sumens exordium inter Bethsaidam et Capharnaum.

26. Bethsaida, Chorazain, Cedar, Capharnaum, Mensa, Genezareth, Magdalum, Tiberias, Bethulia, Dothaim, Gergesa.

A Bethsaida Petrus et Johannes, Andreas et Jacobus Alphaei. Sexto milliario a Bethsaida Chorazain, in qua Antichristus, seductor orbis, nutrietur. De Chorazain et Bethsaida ait Jesus: *Vae tibi, Chorazain, vae tibi Bethsaida.* Sexto milliario a Chorazain Cedar, excellentissima civitas, de qua in Psalmo: *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Cedar interpretatur in tenebris. Capharnaum, in dextra maris, civitas centurionis, in qua sanavit Jesus filium centurionis, de quo et ipse ait: *Non inveni tantam fidem in Israel.* In Capharnaum multa signa fecit Jesus, docens in synagoga. Capharnaum interpretatur villa pulcherrima vel filia pulchritudinis, quae nobis significat sanctam ecclesiam, ad quam cuncti, qui de Libano veniunt, id est, de candore virtutum, ab ea et in ea lucidiores redduntur.

Secundo milliario a Capharnaum descensus illius

montis est, in quo Dominus sermocinatus est ad turbas, et instruxit apostolos suos, docens eos, in quo et leprosum curavit. Milliario a descensu illo est locus, in quo pavit quinque millia hominum ex quinque panibus et duobus piscibus. Unde locus ille Mensa vocatur, quasi locus refectionis, cui locus subjacet ille, in quo Christus post resurrectionem suam discipulis suis apparuit, comedens cum eis partem piscis assi supra mare, quod idem Dominus sicco pede perambulavit, cum circa quartam noctis vigiliam Petro et Andreae piscantibus apparuit, ubi et Petro supra mare ad eum ire volenti et mergenti ait Christus: *Modicae fidei, quare dubitasti?* ubi et alia vice suis discipulis periclitantibus, sperantibus mare quietum reddidit. In sinistro capite maris, montis in concavo, Genezareth, locus auram generans, quod adhuc ab illis praesentibus sentitur.

Secundo milliario a Genezareth oppidum Magdalum, a quo Maria Magdalena. Haec autem regio vocatur Galilaea gentium, et sita est in tribu Zabulon et Naphtalim. In superioribus hujus Galilaeae viginti fuere civitates, quas rex Salomon Hiram, regi Tyri, amico suo, dono dedit. Se-

cundo milliario a Magdalo Cinereth civitas, quae et Tiberias a Tiberio Caesare cognominata, quam in juventute sua Jesus frequentare solebat. Quarto milliario a Tiberiade Bethulia civitas, ex qua Judith, quae pro gente sua salvanda satis astute peremit Holofernem in obsidione urbis. Quarto milliario a Tiberiade contra meridiem est Dothaim, in quo Joseph fratres suos greges pascentes reperit, quem et ibi ismaelitis habentes odio vendiderunt. Sexto decimo milliario a Nazareth contra orientem, supra mare Galilaeae, Gergesa, viculus ille, in quo salvator eos, qui a daemonibus vexabantur, sanitati restituit, ex quo et mari porcos per praecipitium subjecit.

27. Ad lectorem.

Sic sic describendo venerabilia loca in sancta civitate Jerusalem, incipiendo ab ecclesia sancti sepulchri, circumeundo per portam David usque ad eandem reversi sumus, plures omittendo capellas et inferiores ecclesias, quas habent ibi diversarum nationum et linguarum homines. Sunt namque ibi graeci, bulgari, latini, alemanni, hungari, scoti, navarri, britanni, angli, franci, rutheni,

bohemi, georgiani, armeni, jacobitae, suriani, nestoriani, indi, aegyptii, copti, capheturici, maroni et alii quamplures, quos longum esset enumerare, sed in his finem hujus opusculi faciemus. Amen.

* * *

Festum, in quo recuperatio urbis Jerusalem atque transfiguratio Domini celebratur.

Idus julii dedicatio ecclesiae sancti sepulchri. Eodem die festum maximum celebratur de captivitate Jerusalem facta a christianis. De hoc ad missam introitus: Laetare, Jerusalem. Kyrie eleyson. Cunctipotens genitor Deus. Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui virtute tua mirabili Jerusalem, civitatem tuam, de manu paganorum eruisti et christianis reddidisti, adesto nobis, quaesumus, propitius, ut, qui sanctam solemnitatem annua recolimus devotione, ad supernae Jerusalem gaudia pervenire mereamur. Per Dominum etc. Epistola: Surge illuminare. Alleluja, dies sanctificatus, cum graduali: Omnes

de Saba etc. Evangelium: Cum intraret Jesus Hierosolymam. Credo in unum. Offertor: Dextra Domini. Secreta: Hanc, quaesumus, Domine, hostiam, quam tibi supplices offerimus, dignanter suscipe et ejus mysterio nos dignos effice, ut, qui de Jerusalem civitate, de manu paganorum eruta, hunc diem agimus celebrando, coelestis Jerusalem concives fieri tandem mereamur. Per Dominum etc. Communio: Jerusalem, surge etc. Quod sumsimus, Domine, sacrificium, ad corporis et animae nobis proficiat salutem, ut, qui de civitatis tuae Jerusalem libertate gaudeamus, in coelesti Jerusalem haereditari mereamur. Per Dominum.

De transfiguratione Domini. Deus, qui te in monte secundum nostram substantiam transformari voluisti, praesta, quaesumus, ut illud lumen, quod tuis apostolis ostendere dignatus es, largiaris et nobis. Qui cum patre. VIII. idus augusti celebratur transfiguratio Domini in monte Tabor. Introitus: Benedicta sit sancta. Per Dominum. Oratio: Deus, qui hodierno die unigenitum tuum mirabiliter transformatum coelitus utriusque testamenti patribus revelasti, da nobis, quaesumus,

beneplacitis tibi actibus ad ejus semper contemplandam pertingere gloriam, in quo tuae paternitati bene complacuisse testatus es. Per Dominum. Secreta: Suscipe, quaesumus, Domine, sancte pater omnipotens, munera, quae pro gloriosa filii tui transfiguratione deferimus, et concede propitius, ut a temporalibus liberemur incommodis, et gaudiis connectamur aeternis. Per Dominum. Communio. Deus, qui hunç diem incarnati verbi tui transfiguratione tuaque ad eum missa paternitatis voce consecrasti, tribue, quaesumus, ut divinis alimoniis in ejus mereamur membra transformari, qui haec in sui memoriam fieri praecepit Jesus Christus, filius tuus, Dominus noster. Qui tecum etc.

VI.

Innominatus VIII. De terra ultra maria.

Omnibus volentibus visitare terram promissionis occurrunt ista loca.

Primum in civitatem Nazareth. Ibi nunciavit angelus beatae Mariae, et concepit de spiritu sancto.

Postea veniens ad civitatem Jerusalem extra muros, et ibi invenies locum, ubi sanctus Stephanus fuit lapidatus. Deinde veniens ad sanctum sepulchrum, quod est in medio civitatis Jerusalem. In introitu ecclesiae sancti sepulchri, in dextra parte, est locus, ubi Dominus noster commendavit beatam virginem sancto Johanni. Et ibi intra ecclesiam invenies Golgatha; superius est mons Calvariae, ubi Dominus noster fuit crucifixus. Postea inde venies

ad locum, ubi inventa fuit sancta crux. Deinde in medio chori canonicorum, ibi est locus, ubi Dominus noster positus est, quando de cruce deportatus fuit, involutus in sudore (sindone), et dicitur iste locus medium mundi. Et de illo loco fuit portatus ad sanctum sepulchrum, et in introitu sancti sepulchri est locus, super quem sedebat angelus, quando Dominus noster erat in sepulchro.

Postea venimus ad montem Sion, ubi est capella sancti salvatoris, quae dicitur praetorium Pilati. Ibi fuit Dominus noster coronatus, ligatus et consputus et judicatus a Pilato. Postea veniens ad locum, ubi migravit beata virgo Maria. Deinde ubi Dominus noster coenavit, et fecit mandatum suum cum discipulis, et lavit pedes eorum, et ibi est locus, ubi corpus consecravit, et ubi venit januis clausis post resurrectionem suam, et dixit eis: *Pax vobis.* Et ibi descendit spiritus sanctus super discipulos in die pentecostes. Postea inveniens sepulchrum regis David et sepulchrum Salomonis et sancti Stephani protomartyris, et ubi sanctus Stephanus est ordinatus. Deinde veniens ad locum, ubi

sanctus Petrus abscondit se, quando negavit Christum.

Deinde ad fontem Siloe, ubi caecus lavit oculos suos et statim vidit. Deinde ad templum Domini, ubi Christus fuit praesentatus et a Simone receptus. Deinde ad sanctam Annam.

Deinde in vallem Josaphat, ubi invenies sepulchrum beatae Mariae, et ibi prope est locus, ubi Dominus noster fuit ligatus. Deinde ad montem Oliveti ascendens, ibique reperies locum, ubi Dominus noster ascendit ad coelos, et ibi est ecclesia, quae dicitur Pater noster. Deinde ad Bethaniam, ubi Dominus noster Lazarum suscitavit. Et ibi est ecclesia beatae Mariae Magdalenae, et ibi est lapis, super quem Dominus sedebat, quando Martha occurrit. Deinde ad fluentem Jordanis.

Deinde ad Bethlehem, ubi reperies locum, in quo natus fuit Dominus noster, et ibi est praesepe Domini, in quo reclinatus fuit. Deinde ad locum, ubi angelus annunciavit gaudium magnum pastoribus Luc. secundo: *Gloria in excelsis Deo et in terra* etc. Deinde ad sanctum Abraham patriarcham. Deinde ad locum, ubi natus fuit

sanctus Johannes Baptista. Deinde ad fo Emmaus, ubi fuit Dominus noster in die pas et cognoverunt eum in fractione panis.

Deinde ad montem Tabor, ubi transfigu se Dominus.

Qui cum Deo patre et filio in unitate sp sancti dominatur per omnia saecula saecul Amen.

VII.

La Citez de Iherusalem.

Pour ce que li plus des bonz crestienz parolent e oient volantierz parler de la sainte cité de Iherusalem, e des Sainz Leux ou nostre Sire fu morz et viz, nous dironz, commant ele seoit au jor, que li sarrazin et Salahadinz la conquistrent seur les chrestienz. Aucunes gens porront estre qui le vorront oir; cil a qui il desplera, porront trespasser cest leu.

1. **Le Mont Sion, l'abbaye et l'église de Notre Dame, la maison où Jésus-Christ fit la cène, le lieu où il apparut à ses apôtres, où il leur montra ses plaies, où il monta au ciel, où il envoya le Saint Esprit et où Notre Dame mourut.**

Iherusalem, la glorieuse citez, n'est pas en cel liu qu'ele estoit, quant Ihesu Cris estoit en

terre ne il fu crucefiés ne il fu resuscités de mort a vie. Quant Ihesu Cris estoit en terre, estoit la cités de Iherusalem sor le mont de Syon; mais ele n'i est ore pas. Il n'i a solement c'une abeie de moincs, e en cele abeie a un mostier de madame sainte Marie. La u li mostiers est, si con on fait entendant, fu la maisons u Ihesus Cris cena aveques ses apostres le juesdi absolu, e fist le sacrement de l'autel. En cel mostier est li lius u il s'aparut as apostres le jor de pasques, quant il fu resuscités. En cel mostier est li lius u il mostra ses plaies de ses pies et de ses mains et de son costé a saint Thumas as octaves de pasques, e se li dist qu'il li baillast sun doit, e le boutast en son costé, si creist fermement, e noient ne se doutast, si ne fust mie mescreans, ains creist. E la meismes s'aparut il le jor de l'ascension a ses apostres, quant il vint prendre congié a aus e il vot monter es cieus. D'aloc le convoierent il jusqu'el mont Olivet. De la monta il es ciex. Dont retornerent ariere en cel liu meisme e atendirent le saint espir, si con Ihesu Cris lor avoit dit e commandé qu'il retornassent ariere

en la cité, si attendissent le saint espir qu'il lor avoit promis. En cel liu lor envoia il la grasse del saint espir le jor de pentecoste. En cel mostier meisme est le lius u madame sainte Marie trespassa en Galilée, e d'iluec le porterent li apostre enfoir el val de Josafas, e misent en un sepucre.

2. Le Sépulcre et l'église de Notre Dame de Josaphat, l'église de Notre Dame du Mont Sion, l'abbaye de Chanoines.

La u li sepucres madame sainte Marie est, a un mostier, c'on apele le mostier madame sainte Marie de Josafas, e si a une abeie de noirs moines. Li mostiers de monte Syon si a a non li mostiers madame sainte Marie de Monte Syon, e si a une abeie de chanoines. Ces .II. abeies sont defors les murs de la cité, l'une est el mont e l'autre est el val. L'abeie de monte Syon est a destre de la cité en droit midi, e cele del val de Josaphat est vers solel levant entre mont Olivet e monte Syon.

3. L'église du s^t Sépulcre et le Calvaire.

Li mostiers del sepucre qui ore est e monte Calvaire, estoit, quant Ihesu Cris fu cru-

cefiés, fors des murs. Ore est en mi liu de la cité, e si est la cités auques en un pendant, e pent vers mont Olivet qui est vers solel levant desor le val de Josafas.

4. Les quatre portes, la porte et la tour de David, poterne vers le Mont Sion, l'église de s[t] Jacques en Galice.

En Iherusalem a .IIII. maistres portes en crois, l'une en droit l'autre, estre les posternes. Or les vos nomerai, e coment eles sient.

La porte David est vers solel couchant e est a la droiture de portes oires qui sont vers solel levant deriere le temple Domini. Cele porte tient a la tor David, pour çou l'apele on la porte David. Quant on est en cele porte, si torne on a mein destre en une rue. Par devant la tor David si puet on aler en monte Syon par une posterne qui la est. En cele rue, a main senestre aius c'on isse hors de la posterne, a un mostier mon segnor Jaque de Galisse qui frere fu mon segnor saint Jehan evangeliste. La dist on que sains Jaques ot la teste copee. Por çou fist on la cel mostier.

5. La rue de David, la rue du Patriarche, la Porte de la maison de l'Hôpital et de l'église du s[t] Sépulcre, la rue du Mont Sion, la rue aux Herbes, le marché au poisson, le grand marché, les échoppes des orfèvres, les paumiers d'outre mer, l'abbaye de s[te] Marie la Grande, l'abbaye de s[te] Marie Latine, la maison de l'Hôpital.

La grans rue qui va de la porte David droit a portes oires, cele rue est apelee desi c'al cange la rue David. A main senestre de la tor David a une grant place u on vent le blé, e quant on a un poi avalé cele rue qui a a non la rue David, si trueve on une rue a main senestre qui a a non la rue le patriarche, por çou que li patriarches maint al cief de cele rue. E a main destre de le rue le patriarche a une porte, par la u on entre en la maison de l'ospital. Apres si a une porte, par la u on entre el mostier del sepucre; mais n'est mie la maistre porte.

Quant on vient al cange, la u la rue David faut, si trueve on une rue qui a a non la rue de monte Syon; car cele rue vait a la porte monte Syon. E a senestre del cange a une rue tote coverte a vote qui a a non la rue des herbes. La vent on tot le fruit de le vile e les

herbes e les espisses. Al cief de cele rue a un liu, la u on vent le poisson, e deriere le marcié, la u on vent le poisson, a une grandisme place a main senestre, la u on vent les oes e les fromages e les poles e les awes. A main destre de cel marcié sont les escopes des orfevres suriens, e si vent on les paumes que li paumier apportent d'outre mer. A main senestre de cel marcié sont les escopes des orfevres latins. Al cief de ces escopes a une abeie de nonains, c'on apele sainte Marie le grant. Apres cele abeie de nonains trueve on une abeie de moines noirs, c'on apele sainte Marie le latine. Apres trueve on le maison de l'ospital. La est la maistre porte de l'ospital.

6. La maîtresse Porte et la place du s[t] Sépulcre, l'église de s[t] Jacques de „Jacobins', le Calvaire, Golgotha, le Clocher, la chapelle de la s[te] Trinité.

A main destre de la droiture de l'ospital est la maistre porte del sepucre. Devant cele porte del sepucre a une moult bele place pavee de marbre. A main senestre de cele porte del sepucre a un mostier, c'on apele saint

Jake des Jacobins. A main destre tenant de cele porte del sepucre a uns degres, par la u on monte en monte Calvaire. Lasus, en som le mont si a une moult bele chapele, e si a un autre huis en cele chapele, par la u on entre e avale el mostier del sepucre par uns autres degrez qui la sont tot si com on entre el mostier. A main destre desos monte Cauvaire si est Golgatas. A main senestre est li clochiers del sepucre, e si a une chapele, c'on apele sainte trinité. Cele chapele si est granz; car on i soloit espouser totes les femes de la cité, e la estoient li fons, la u on batisoit tos les enfans de la cité. E cele chapele si est tenans al mostier del sepucre, si qu'il i a une porte dont on entre el mostier.

7. **Le monument, l'église du s[t] Sépulcre, le chancel, le choeur du s[t] Sépulcre, l'autel des Grecs, le compas.**

A la droiture de cele porte est li monumens. En cel endroit, la u li monumens est, est li mostiers tos roons, e si est overs par desore, sans covertures. E dedens cel monument est la piere del sepucre, e li monumens est tot

covers a voute. Al chavec de cel monument ausi com al cief a un autel par defors, qu'on apele le chancel. La chantoit on cascun jor messe al point del jor. Il a moult bele place tot entour le monument e tote pavee, si c'on va a procession tot entor le monument.

Apres vers oriant est li cuers del sepucre, la u li chanoine chantent. Entre le cuer, la u li chanoine sont, e le monument a un autel, la u li griu chantent, mais qu'il a un enclos entre .II. e si a un huis, par la u on va de l'un a l'autre. En mi liu del cuer as chanoines a un cru de marbre, c'on apele le compas; la sus list on l'epistre.

8. Le Calvaire.

A main destre del maistre autel de cel cuer est monte Calvaire, si que, quant on chante messe de la resurrexion, li diacres, quant il list l'evangile, si se torne devers monte Cauvaire, quant il dist crucifixum; apres si se torne vers le monument e si dist: surrexit, non est hic; apres le mostre al doit: ecce locus, ubi posuerunt eum, e puis se torne al livre, si parlist son evangile.

9. **Les Chanoines, leurs officines et le Cloître, la chapelle de ste Hélène, le dortoir et le refectoire.**

Al chavec del cuer a une porte, par la u li chanoine vont en lor offecines, e a main destre entre cele porte e monte Cauvaire a une parfonde fosse u on avale a degres. La a une chapele, c'on apele sainte Elaine. La trova sainte Elaine la crois e les clous e le martel e la corone. En cele fosse, al tans que Ihesu Cris fu en terre, getoit on les crois, la u li laron avoient esté crucefié, e les membres qu'il avoient deservi a couper. E por çou apele on cel mont monte Cauvaire, c'on i faisoit les justices e çou que la lois aportoit, e c'on i eschavoit les membres c'on lor avoit jugié a perdre.

Tot si comme li chanoine issent del sepucre, a main senestre estoit lor dortoirs, e a main destre estoit lor refroitoirs e tient a monte Cauvaire. Entre ces .II. offecines est lor clostres e lor prael. En mi liu du prael a une grant overture, par u on voit en la chapele sainte Elaine qui desos est; car autrement n'i verroit on noient.

10. La rue aux Herbes, la rue Mal-cuisinat, la rue Converte.

Or vos ai dit del sepucre, comment il est. Or revenrai ariere al cange. Devant le cange tenant a le rue des herbes a une rue, c'on apele mal cuisinat. En cele rue cuissoit on les viandes c'on vendoit as pelerins, e si i lavoit on lor ciés, e si aloit on de cele rue al sepucre. Tenant a cele rue del mal cuisinat a une rue, c'on apele le rue coverte. La on vent le draperie, e est tote a voute par desus, e par cele rue va on al sepucre.

11. La rue du Temple, la Boucherie, l'Hôpital et la rue aux Allemands, le pont, l'église de s[t] Gilles, la porte Spécieuse.

Or lairons del cange, si m'en irai a portes oires. Cele rue dont on va del cange a portes oires, a a non le rue del temple. Por çou l'apele on la rue del temple, c'on vient ainsçois al temple c'a portes oires. A main senestre, si con on avale cele rue a aler a portes oires, est la boucherie, la u on vent la char de la vile. A main destre a une rue, par la u on va a l'ospital

des alemans. Cele rue a a non le rue des alemans. A main senestre sor le pont a un mostier de saint Gille. Al cief de cele rue a unes portes, c'on apele portes precieuses. Por ço les apele on portes precieuses que Ihesu Cris entroit par ces portes en la cité de Iherusalem, quant il ala par terre. Ces portes sont en .I. mur qui est entre le mur de la cité e portes oires.

12. **Le Temple, le pavement, le palais de Salomon, le manoir des templiers, l'église du Templum Domini, l'abbaye.**

Entre le mur de la cité e le mur des portes oires si est li temples, e si a une grant place qui plus a d'une traitie de lonc e le get d'une piere de lé, ains c'on vegne al temple. Cele place si est pavee, dont on apele cele place le pavement. Si com on ist de ces portes, a main destre est li temples Salemon, la u li frere del temple manoient. A la droiture de portes precieuses e de portes oires est li mostiers del temple Domini, e si est en haut, si c'on i monte a degres. Quant on a monté ces degres,

si trueve on le grant place tote pavee de marbre e moult est large, e cil pavemens va tot entor le mostier del temple. Li mostiers del temple est tos roons. A main senestre de cel haut pavement del temple est l'offecine de l'abé e des chanoines, e de cele part a uns degres, par la u on monte al temple del bas pavement el haut.

13. La chapelle où s[t] Jacques fut martyrisé, la Pécheresse, la Porte Dorée, les âtres de Salomon, la porte de Josaphat.

Devers solel levant tenant al mostier del temple a une chapele de mon segnor saint Jakome l'apostre, le menor. Por çou est iluec cele chapele qu'il i fu martiriés, quant li jui le geterent de desor le temple a val. Dedens cele chapele est li lius u Ihesu Cris delivra la pecheresse c'on menoit martirier, por çou qu'ele avoit esté prise en avoutire, e il li demanda, quant il l'ot delivrée, ou cil estoient qui l'avoient acusée, e ele dist qu'ele ne savoit. Adonc li dist Dex qu'ele s'en alast e ne pechast mais.

Al cief de cel pavement, par devers solel levant, ravale on uns degres a aler a portes oires.

Quant on les a avalés, si trueve on une grant place, ains c'on vegne as portes. La siest li atres que Salemons fist. Par ces portes ne passoit nus, ains estoient murees, que .II. fois en l'an, c'on les desmuroit, e i aloit on a procession le jor de pasque florie, pour çou que Ihesu Cris i passa cel jor e fu recheus a procession, e le jor de sainte crois saltasse, por ço que par ces portes fu rapportee la sainte crois en Iherusalem, quant li empereres Eracles de Rome le conquesta en Perse, e par cele porte le remist il en la cité e ala on a procession encontre lui. Por çou c'on n'issoit mie hors de la vile par ces portes, avoit il une posterne par encoste, c'on apeloit la porte de Josafas. Par cele posterne issoient hors cil de la cité de cele part, e cele posterne est a main senestre des portes oires.

14. L'église appelée le Berceau, l'église du Temple, les quatre portes, l'abbaye.

Par devers midi ravale on del haut pavement del temple el bas dont on vait el temple Salemon. A main senestre, si com on a avalé del haut pavement el bas, la a un mostier, c'on

apele le berc. La estoit li bers dont Dex fut berciés en s'enfance, si con on dist.

El mostier del temple avoit .IIII. portes en croix. La premiere est devers solel couchant. Par la entroient cil de la cité el temple. E par cele devers solel levant entroit on en la chapele saint Jaque, e si s'en rissoit on d'ilueques a aler a portes oires. Par la porte devers miedi aloit on el temple Salemon, e par la porte devers aquilon entroit on en l'abeie.

15. La Porte Dorée, la porte et l'église de s[t] Étienne, l'Ânerie, la Maladrerie, la Poterne de s[t] Lazare.

Or vos ai devisé del sepucre e del temple, coment il siet, e de l'ospital e des rues qui sont de la porte David dusc'a portes oires, l'une en droit l'autre, dont l'une est devers solel levant e l'autre devers solel couchant.

Or vos dirai des autres .II. portes dont l'une est en droit l'autre. Cele devers aquilon a a non la porte saint Estevene. Par cele porte entroient li pelerin en la cité e tot cil qui par devers Acre venoient en Iherusalem e par tote la

terre deça le flun desci c'a le mer d'Escalone. Dehors cele porte, ains c'on i entre, a main destre, avoit un mostier de mon segneur saint Estene. La dit on que mes sire sains Estenes fu lapidés. Devant cel mostier, a main senestre, avoit une grant maison, c'on apele l'asnerie. La soloient jesir li asne e li somier de la maison de l'ospital, por çou avoit a non l'asnerie. Cel mostier de saint Estene abatirent li crestien de Iherusalem devant çou qu'il fussent asegié, por ço que li mostiers estoit pres des murs. L'asnerie ne fu pas abatue, ains ot puis mestier as pelerins qui par treuage venirent en Iherusalem, quant ele estoit de sarrasins. Por ço que li sarrasin ne les laissoient mie herbergier dedens la cité, por ço lor ot la maisons de l'asnerie grant mestier. A main destre de la porte saint Estene estoit la maladerie de Iherusalem tenant as murs. Tenant a le maladerie avoit une posterne, c'on apeloit la posterne saint Lasdre. La metoient li sarrasin les crestiens en la cité, por aler covertement al sepucre, que li sarrasin ne vouloient mie que li crestien veissent la faice de la cité, e les metoit on par la porte qui est en la rue le pa-

triarche, el mostier del sepucre, ne ne les metoit on mie par le maistre porte.

16. **La poterne de la Tannerie, la rue s[t] Étienne, la rue et la maison du s[t] Sépulcre, la rue de l'église du s[t] Sépulcre, le Change des Syriens et des Latins, les trois rues, la rue Converte, la rue aux Herbes et la rue Mal-cuisinat, la rue de l'arc de Judas, l'église de s[t] Martin et de s[t] Pierre.**

Quant on entre en la cité de Iherusalem par la porte saint Estene, si trueve on II. rues: l'une a destre qui vait a le porte monte Syon, qui est en droit midi, e la porte monte Syon si est a la droiture de la porte saint Estene. La rue a main senestre si va droit a une posterne, c'on apele la posterne de la tanerie, e va droit par desos le pont.

Cele rue qui vait a le porte monte Syon, a a non la rue saint Estene desi c'on vient al cange des suriens. Ainsçois c'on vegne al cange des suriens, a une rue a main destre, c'on apele le rue del sepucre. La est la porte de la maison del sepucre, par la entrent cil del sepucre en lor manoirs.

Quant on vient devant cel cange, si trueve

on a main destre une rue coverte a vote, par u on va el mostier del sepucre. En cele rue vendent li surien lor draperie e si fait on les chandeles de cire. Devant cel cange vent on le poisson. A cel cange tienent les .III. rues qui tienent as canges des latins, dont l'une de ces .III. rues a a non rue coverte. La vendent li latin lor draperie. E l'autre a a non la rue des herbes e la tierce mal cuisinat. Par la rue des herbes vait on en la rue monte Syon, dont on va a la porte monte Syon e trescope la rue David. Par la rue coverte vait on en une rue par le cange des latins. Cele rue apele on la rue del arc Judas, e trescope on la rue del temple, e cele rue va droit a le porte monte Syon. Cele rue apele on le rue del arc Judas, por ço c'on dist que Judas s'i pendi a un arc de piere. A senestre de cele rue a un mostier, c'on apele le mostier saint Martin, e pres de cel mostier, a main senestre, a un mostier de saint Pierre. La dist on que ce fu que Ihesu Cris fist le boe, qu'il mist es iex de celui qui onques n'avoit eu oil, e li commanda qu'il s'alast laver a le fontaine de Syloe, si veroit, e il si fist, si ot iex e si vit.

17. Hors de la porte du Mont Sion les trois voies, la fontaine de Siloé, l'église de s[t] Pierre en gallicante.

Tot si com on ist hors de le porte monte Syon, si trueve on .III. voies: une voie a main destre qui vait a l'abeie e al mostier de monte Syon. Entre l'abeie e les murs de la cité si avoit un grant atre e .I. mostier en mi liu. La voie a main senestre si vait selonc les murs de la cité tot droit a portes oires, e d'ilec avale on el val de Josafas, e si en vait on a la fontaine de Syloe. E de cele porte a main destre sor cele voie a un mostier, c'on apele saint Piere en gallicante. En cel mostier avoit une fosse profonde. La dist on que sains Pieres se mucha, quant il ot Ihesu Crist renoié, e il oi le coc chanter, e la plora il. La voie a la droiture de le porte devers miedi si vait par desoz le mont desi c'on a passé l'abeie. Quant on a passé l'abeie, si avale on le mont e vait on par la en Belleem.

18. Le lac (étang) de Germain, Hakeldama, le lac du Patriarche, le Charnier du lion.

Si tost c'on a avalé le mont, si trueve on

.I. lai en la valee, c'on apele le lai Germain; car Germains le fist faire, por recoillir les ewes qui venoient des montagnes, quant il plovoit, e la abuvroit on les chevaus de la cité. D'autre part la valee, a main senestre, prcs d'ilueques a un charnier, c'on apele champ de mar. La getoit on les pelerins qui moroient a l'ospital de Iherusalem. Cele piece de terre u li charniers est, fu achetee des deniers dont Judas vendi la char Ihesu Cris, si con l'evangiles tesmoigne.

Dehors la porte David a un lai par devers solel couchant, c'on apele li lai del patriarche, la u on recueilloit les ewes d'iluec entor a abuvrer les chevaus. Pres de cel lai avoit un charnier, c'on apeloit le charnier del lyon. Il avint ja, si com on dist, a un jor qui passés est, qu'il ot une bataille entre cel charnier e Iherusalem, u il ot moult de crestiens ocis, e que cil de la cité les devoient lendemain faire tos ardoir por le puor, tant qu'il avint, c'uns lyons vint par nuit, si les porta tos en cele fosse, si com on dist. E sus cel charnier avoit un mostier u on chantoit cascun jor messe.

19. L'abbaye des Géorgiens où une partie de la croix fut prise; quels gens ils sont.

Pres d'ilec a une lieue avoit une abeie de jorjans, la u on dist c'une des pieces de la crois fu coillue, e l'estache de la crois fu prise devant le temple, qu'ele estoit demoree dou temple, c'on ne pooit trover liu u ele s'aferist, qu'el ne fust u trop longe u trop corte. Dont il avenoit, si com on dist, que, quant les gens venoient al temple e il avoient lor pies en boes, qu'il terdoient iluecques lor pies. Dont il avint c'une fois i passa une roine, si le vit enboee, si le terst de ses dras e si l'aora.

Or vos dirai de cele piece de fust dont ele vint, si con on dist el pais. Il avint chose c'Adans jut el lit mortel, si pria un de ses fix por Deu qu'il li aportast un ransel de l'arbre dont il avoit mangié del fruit, quant il pecha. Il li aporta e il le prist, si le mist en sa bouche. Quant il l'ot en sa bouche, il estrainst les dens, e l'arme s'en ala, n'onques cel rainsel ne li pot on esragier des dens, ains fu enfois atot. Cis rainsiaus, si com on dist, reprist e devint bel arbre, e quant ce

vint que li deluives fu, si esraga cis arbres e le mena li deluives el mont de Liban, e d'ilueques fu il menés en Iherusalem avec le mairien, dont li temples fu fais qui fu tailliés el mont de Liban. Il avint, si com on dist, que, quant Ihesu Cris fu mis en crois, que la teste Adan estoit dedans le boise, e quant li sans Ihesu Crist issi hors de ses plaies, la teste Adan issi hors de la boise e recoilli le sanc, dont il avient encore qu'en tos les crucefis c'on fait en la terre de Iherusalem, c'au pié de la crois a une teste en raimenbrance de celi.

Or vos dirai des jorjans qui sont en l'abeie u l'une partie de la crois fu prise, quels gens se sont, ne de quel terre il sont. La terre dont il sont, a a non Avegie, e si a roi e roine dont aucunes gens apelent cele terre terre de Femenie. Por ce l'apelent terre de Femenie que la roine chevauce e tient s'ost de ses femes ausi com li rois fait de ses homes. En cele terre n'ont les femes c'une mamele, e si vos dirai por coi. Quant la feme est nee e ele est un poi crute, si li cuist on la destre mamele d'un fer chaut, e la senestre li laisse on por ses enfans norrir. E por ço li

cuist on la destre qu'ele ne li nuise al traire, quant ele est en bataille.

20. Emmaüs.

A trois lieues de Iherusalem a une fontaine devers solel couchant, c'on apele la fontaine d'Emaus. La soloit avoir un chastel, dont il avint, si com l'evangiles tesmogne, que nostre Sire ala avec dos de ses desiples, quant il fu resuscités, dusc'a cel chastel, e s'asisent a cele fontaine por mangier, si qu'il ne le conurent mie desci qu'il brisa le pain. Adont s'esvanui d'aus, e il s'en retornerent en Iherusalem as apostres, por faire savoir a iaus, comment il avoient a lui parlé.

21. La rue qui va à la poterne de la Tannerie, la rue de Josaphat, le carrefour, la Porte Douloureuse, le Ruisseau, l'église de s[t] Jean l'Évangeliste, couvent des religieuses de Béthanie.

Or revieng a la porte saint Estene, a la rue qui vait a main senestre e vait a le posterne de le tanerie. Quant on a alé une piece de cele rue, si trueve on une rue a main senestre, c'on apele le rue de Josafas. Quant on a alé un poi avant, si trueve on un quarefor d'une voie,

dont la voie qui vient de senestre, vient del temple e vait al sepucre. Al cief de cele voie a une porte par devers le temple, c'on apele porte dolereuse. Par la issi fors Ihesus, quant on le mena el mont de Cauvaire por crucefier, e por çou l'apele on porte dolereuse. A main destre sor le quarrefor de cele voie fu li ruisiaus, dont l'evangiles tesmogne que nostre Sire passa, quant il fu menés crucefier. En cel endroit a un mostier de saint Jehan Evangeliste, e si avoit un grant manoir. Cil manoirs e li mostiers estoit des nonains de Bethanie. La manoient eles, quant il estoit guerre de sarrasins.

22. **La Juiverie, l'église de s[te] Marie Madeleine, une poterne, l'église du Repos, la prison, le prétoire de Pilate, une autre poterne.**

Or revieng a la rue de Josafas. Entre la rue de Josafas e les murs de la cité, a main senestre, a rues jusc'a la porte de Josafas ausi com une vile. La manoient li plus des suriens de Iherusalem, e ces rues apeloit on la juerie. En cele juerie avoit un mostier de sainte Marie Madalaine, e pres del mostier avoit une posterne,

dont on ne pooit mie hors issir as cans, mais entre .II. murs en aloit on.

A main destre de cele rue de Josafas avoit un mostier, c'on apeloit le repos. La dist on que Ihesu Cris se reposa, quant on le mena crucefier, e la estoit la prisons u il fu mis la nuit qu'il fu pris en Gessemani. Un poi avant, a main senestre de cele rue, estoit la maisons Pilate. Devant cele maison avoit une posterne, par ou on aloit al temple.

23. L'abbaye de s[te] Anne, la Piscine Probatique.

Pres de la porte de Josafas, a main senestre, avoit une abeie de nonains qui avoit a non sainte Anne. Devant cele abeie a une fontaine qui a a non la pecine. Desor le fontaine avoit un mostier. E cele fontaine ne cort point, ains est en une fosse desos le mostier. A cele fontaine, al tans que Ihesus Cris fu en terre, avenoit que li angles par fies venoit movoir cele ewe, e qui primes descendoit a cele fontaine, por baignier apres çou que li angles l'avait mute, il estoit garis de quel enferté qu'il eust. Cele fontaine avoit cinq porches, e devant ces porches si gisoient

molt de malades e d'enfers e de langereus, por atendre le movement de l'ewe. Dont il avint que Ihesu Cris vint la un jor e trova la un home gisant en son lit qui XXXVIII. ans i avoit jut, se li demanda Ihesu Cris, s'il voloit estre garis. E il li respondi: Sire, je n'ai home qui m'ajut a descendre en la fontaine, quant li angles a mute l'ewe. E quant il l'a mute e je m'esmuet, por aler la, si truis je un autre qui s'i est baigniés devant moi. Dont vint Ihesu Cris, se li dist qu'il ostsat son lit e si s'en alast. E cil sali sus tos sains e tos saus, e si s'en ala. Cel jor estoit samedis, si com l'evangiles tesmogne.

24. L'abbaye de la vallée de Josaphat, l'église et le sépulcre de Notre Dame, l'église de Gethsémani, l'église du s[t] Sauveur, les Hermites et Reclus de la vallée de Josaphat.

Si com on ist de la porte de Josafas, si avale on el val de Josafas. A main destre de cele porte sont portes oires. El val de Josafas si avoit une abeie de noirs moines. En cele abeie avoit un mostier de madame sainte Marie. En cel mostier estoit li sepucres u

ele fu enfoie, e est encore. Li sarrasin, quant il orent prise la cité, abatirent cele abeie e enporterent les pieres a le cité fermer; mais le mostier n'abatirent il mie. Devant cel mostier, al pié de mont Olivet, a un mostier en un roche, c'on apele Gessemani. La fu Ihesu Cris pris. D'autre part la voie, si com on monte el mont Olivet, tant com on geteroit une piere, avoit un mostier, c'on apeloit saint sauveur. La ala Ihesu Cris orer la nuit qu'il fu pris, e la li degota li sans de son cors ausi com suor. El val de Josafas avoit hermites e renclus ases tos contre val, que je ne vos sai mie nomer, deci c'a la fontaine de Syloe.

25. L'abbaye du Mont des Oliviers, l'église de Paternoster, le Figuier Maudit, Bethphagé.

En som le mont Olivet avoit une abeie de blans moines. Pres de cele abeie, a main destre, avoit une voie qui aloit en Bethanie, toute la costiere de la montagne. Sor le tor de cele voie, a main destre, avoit un mostier, c'on apeloit saint paternostre. La dist on que Ihesu Cris

fis la paternostre e l'ensegna a ses apostres. Pres d'iluec fu li figiers que Dex maudi, quant il ala en Iherusalem, por ço que li apostre i alerent coillir des figes e si n'en i troverent nule, e si n'estoit mie tans qu'eles i deussent estre. Cel jor meismes retorna Ihesu Cris de Iherusalem, por aler en Bethanie, e li apostre alerent par devant le figier, si le troverent sec.

Entre le mostier de la paternostre et Bethanie, en la coste de la montagne, avoit un mostier qui avoit a non Bethfage. La vint Ihesu Cris le jor de le pasque florie, e d'ilueques envoia il en Iherusalem dos de ses desciples por une asnesse, e d'iluec ala il sor l'asnesse en Iherusalem, quant il l'orent amenee.

26. L'auteur ne nomme pas les abbayes et les églises des syriens et d'autres gens qui ne sont obéissant à Rome.

Or vos ai dit e nomé les abeies e les mostiers de Iherusalem e de dehors Iherusalem e les rues des latins; mais je ne vos ai mie nomé ne nomerai les abeies ne les mostiers des suriens, ne

des grejois, ne des jacobins, ne des boanins, ne des nestorins, ne des hermins, ne d'autres gens qui n'estoient mie obeissant a Rome, dont il avoit abeies e mostiers en la cité. Por ço ne vos vuel mie parler de totes ces gens que j'ai chi nomé, qu'il ne sont mie obeissant a Rome.

VIII.

Johannis Poloner descriptio Terrae Sanctae.

De portis civitatis Jerusalem.

Sequitur de portis, quae erant in muro civitatis Jerusalem, quas recolit textus sacrae scripturae. Prima enim vocabatur porta David, et est superior porta civitatis in angulo occidentis; fuit autem sic dicta pro eo, quod turris David eidem imminebat. Dicta etiam fuit porta piscium eo, quod per eam fuit via de Joppe et Diospoli et maritimis. Etiam per eam veniebant negotiatores de Aethiopia et Aegypto merces diversas adducentes. Haec enim porta fuit in antiquo muro, et conjungitur ei adhuc hodie murus partis illius, quae fuit apposita propter sepulchrum Domini includendum. De ista porta procedebat via in tres partes divisa: una super agrum fullonis, et una,

quae erat sinistra, ducebat in Bethlehem et Hebron Juda; alia descendebat ad dextram per vallem Rephaim sub castro Bethsura, quod est stadiis quinque a Jerusalem. Secunda dicebatur porta vetus et erat ab ista contra aquilonem in muro veteri, et manserat a tempore jebusaeorum. Dicta etiam fuit porta judiciaria, quia judicia ibi exercebantur, et quae judicata fuerant per sententiam definitivam, ibi executioni mandabantur. Non longe extra hanc portam Dominus crucifixus est. Tertia erat porta Ephraim in superiori parte contra aquilonem. Per hanc erat via in montem Ephraim et Samariam. Huic accurrebat murus, qui a turri David usque ad hanc portam erat factus ad sepulchrum Domini includendum cum muro veteri. Dicitur nunc porta Stephani, quia fuit extra eam lapidatus. Quarta porta fuit anguli et erat a superiori orientalis in angulo muri super torrentem Cedron, unde in libris Regum legitur, quod Jos (Joas), rex Israel, interrupit murum Jerusalem a porta Ephraim usque ad portam anguli quadringentis cubitis. Dicta etiam erat porta Benjamin, quia in Anathot et caeteras urbes hujus tribus ducebat. Quinta porta erat porta sterquilinii.

Per hanc tempore pluviae descendebat sordes civitatis in torrentem Cedron. Per istam portam erat via in desertum, quod est inter Jerusalem et Jericho, quod nunc dicitur desertum Quarantana. Sexta porta erat vallis et dicebatur porta gregis, quia per eam inducebantur greges immolandi ad templum, cui adjungebatur et quasi adhaerebat probatica piscina, in qua hostiae lavabantur. Huic portae adhaeret (turris) Ananael, quae etiam Nebulosa dicebatur, ut illud: *Aedificabitur Domino civitas a turri Ananael usque ad portam anguli*, quae est porta Benjamin. Hanc turrim Herodes magnus instauravit et appelavit Antoniam in honorem cujusdam Antonii. Haec ducit ad montem Oliveti et Bethaniam et Jordanem. Septima porta est porta aurea. Haec non ducebat in civitatem immediate, sed in templum per compendium de monte Oliveti per testudinem quamdam sitam per vallem Josaphat. Octava est porta aquarum, quia per eam portabantur aquae de natatoria Siloe. Erat autem sita in angulo contra partem illam, ubi mons Sion et mons Moria vel mons Herbarum conveniunt in angulo duorum murorum, scilicet montis Sion, et muro, qui cingebat

domum regis. Ducebat autem ad fontem Siloe et ad vallem filiorum Ennon et ad fontem Rogel et ad àgrum Acheldemach. Non credo, quod plures portas ipsa civitas habuerit, quia secundum situm suum plures non erant necessariae. Celebriores tamen in his sunt tres exitus portarum, scilicet prima, tertia et quarta inter octo jam enumeratas. A meridie autem et aquilone montis Sion supercilium supereminet civitati, et ea pars murorum circumpositis turribus nullas habere portas comprobatur.

Ecce civitas regis magni, quam universae ecclesiae personare non sufficiunt: in cujus murorum ambitu octoginta tres turres et septem munita castra fuerunt, quorum vestigia maxime ad aquilonem adhuc sunt manifesta. Sequitur

Ordo peregrinationis civitatis Jerusalem et aliorum locorum ibidem.

Foris templum sepulchri sancti in planitie circuitus sunt quatuor capellae. Prima a sinistris, cum egreditur, est capella beatae virginis et sancti Johannis Evangelistae; nam ibidem steterunt hora crucifixionis. Secunda proxime est

huic in angulo constructa in honore omnium angelorum. Tertia in eodem latere est sancti Johannis Baptistae. Quarta capella a latere dextro, cum egreditur de templo, juxta turrim campanilis est Mariae Magdalenae. Primam capellam habent indiani, secundam jacobitae, tertiam georgitae, quartam occupant graeci. In medio harum quatuor capellarum in pavimento, a gradu Calvariae undecim passibus, est locus signatus lapide, quo Dominus Jesus, ductus a domo Pilati, quievit cum cruce, cohorte circumstante. Juxta plateam ante templum est carcer malefactorum, cujus ostiolum respicit januam templi 22 passuum. Deinde itur versus orientem per vicos civitatis ad praetorium Pilati. Et est notandum, quod a loco Calvariae usque ad idem praetorium sunt ccccl passus, quos omni diligentia, qua potui, numeravi. Nam ad domum divitis, qui Lazaro languido micas denegavit, sunt ducenti lxxv passus. Deinde a sinistris per xlv passus est locus trium platearum in acie concurrentium, non longe a valva, quae ducit ad Samariam et ad Kapharnaum, Gamalam. Ibidem Simon cyreneus angariatus fuit ad tollendam crucem Christi.

Eodem in loco dixit Dominus flentibus mulieribus: *Filiae Jerusalem, nolite flere super me* etc. Postea per xlii passus a dextris, juxta viam, est locus stationis beatae virginis. Cupiens videre dilectum filium ejus, qui cum ingenti tumultu educebatur de domo Pilati cum intolerabili cruce ad crucifigendum, quem cum intuita fuisset consputum et sanguine conspersum, omnium priorum consolationum oblita, cadens in amentiam, procubuit semimortua, donec a caeteris mulieribus fuit erecta et ablata. Eodem in loco ad honorem ejus constructa erat ecclesia, cujus vestigia hucusque cernuntur, quae a perfidis sarracenis est destructa, et dicebatur ad sanctam Mariam de spasmo. Deinde per quinquaginta sex passus cernitur arcus testudinis sursum incurvatus per plateam: est lithostrotus, et gabbatha dicitur, super quem duo albi lapides cernuntur, super quos Dominus Jesus in area Pilati stetit, cum eidem judici ad quaesita respondit. Ibidem est locus, ubi affixum erat vexillum militum. Sub arcu praedicto monstratur locus scholae beatae virginis, qua in juventute scripturam didicit. Ab arcu praedicto per xxv passus est praetorium, quo Christus fuit fla-

gellatus et judicatus, et porta, per quam introivit, et iterum porta, per quam sententiatus exivit: quae ambae sunt obstructae et per lapides muratae, stante fundamento. Domus cujusdam claret in musitata sculptura in forma rotarum seu astrolobiorum, quae plene cerni non potest. Retro domum praetorii in modica distantia est domus Herodis, sed ante domum praetorii est domus, quae nunc est tribunal judicis civitatis.

A praetorio praefato versus orientem per octoginta tres passus in eodem vico a dextris est prima porta, quae ducit ad viam templi Salomonis, quarum tres sunt in hac platea contra aquilonem. Porta autem speciosa est proxima templo contra occidentem prope hospitium damascenorum. A templo Salomonis non longe versus austrum, eodem ambitu murorum, est templum Domini, in quo afferebantur primogeniti masculi, in quo et puer Jesus praesentatus est et receptus in ulnis Simeonis, habens tectum plumbeum et chorum more sarracenorum versus austrum et in quolibet latere viginti fenestras, attingens extremum angulum civitatis versus vallem Siloe. Deinde declinatur a platea praetorii ad sinistram in bona

distantia, ubi cernitur domus Simeonis pharisaei, qua Magdalenae dimissa sunt peccata.

Deinde verso meatu, in vico praetorii est domus Joachim, qua nata est virgo Maria. Ibidem est ecclesia, quam habent sarraceni, distans a prima porta templi Salomonis per octoginta sex passus. Item a domo Joachim recto tramite per quadraginta duos passus majores est porta gregis vel vallis. In hoc transitu est probatica piscina a dextris, versus templum Salomonis.

Ab eadem porta usque ad arcum testudinis per Cedron sunt centum lxiii passus majores. Per Cedron quondam jacuit arbor, in qua Christus est passus, quod cognovit regina de Saba, regina austri; venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis. Math. XII. Unde et in historia Regnorum legitur: *Et ingressa regina Saba Jerusalem cum multo comitatu et divitiis, camelis portantibus aromata et auri infinitum munus et gemmas pretiosas venit ad Salomonem.* In figura hujus reginae ecclesia, quae venit ex gentibus, signatur. Item ultimo (ultra) torrentem a sinistris 28 passus in valle Josaphat deorsum 48 gradus est grata ecclesia, in qua est sepulchrum gloriosae

virginis Mariae, habens duo extensa brachia et tres articulos medii digiti, octo lampades assidue lucentes. Primum (altare) a latere sepulchro (sepulchri) est armenorum, secundum sub umbrosa testudine est georgicorum, tertium sub fenestra versus orientem est graecorum, quartum versus aquilonem est fratrum minorum, quintum juxta primum gradum ascensionis a sinistris est jacobitarum. Sciendum, in eodem latere ascensionis est (altare) indianorum. Ibidem sepulta requiescit regina Milecendis, quae eandem ecclesiam construi fecit: a cujus janua 14 passus versus orientem ad introitum cavernae, quae est in pede montis Oliveti sub rupibus, in qua Dominus Jesus, in agonia factus, guttas sanguinis sudavit, trinam faciens orationem: ab hoc loco moestitiae versus austrum, ad jactum lapidis fortiter avulsi, in latere montis praedicti juxta grandem rupem sederunt tres discipuli, quos invenit dormientes. Prope ibidem per octo passus est hortus, qui floridus cognominatur, versus torrentem, cui directe aurea porta opponitur: in quo Christus captive tenebatur, in quo et Petrus percussit servum principis; nam frequenter convenerat illuc cum discipulis. Et illa porta dicitur etiam, de

qua Ezechiel: Haec est, quae respicit ad orientem, et haec erat clausa. Ingressus est per eam, et vir non transiet per eam, qnoniam Dominus ingressus est per eam. Sed Gethsemane, in quo alii octo discipuli manserunt, declivius locatur versus austrum, distans ab horto per sagittam arcus. Deinde ab horto per 45 passus ad altum est locus signatus, ubi beata virgo coelos ascendens angulum (cingulum) suum reliquit beato Thomae, qui non fuit cum coapostolis, quando corpus gloriosae virginis translatum erat in coelum.

Ascendimus nunc ad montem Oliveti per viam petrosam, quae ducit ad portam gregis per torrentem, in qua est locus, ubi Christus flevit, videns civitatem Jerusalem, sicut evangelica dicit historia. Idem locus distat a loco inmediate praescripto per ducentos et decem passus, et est via, quam equitavit Dominus die palmarum, quae dividit montem Oliveti a monte Galilaeae. Ab isto loco fletus ulterius ascenditur per centum xcv passus ad locum, ubi angelus Gabriel attulit palmam gloriosae virgini, praedictans migrationem ejus ab hoc saeculo. Deinde ad sinistram extra viam per centum et xx passus ascenditur

mons Galilaeae, in quo quinto et ultimo Christus discipulis suis, uti promiserat, apparuit. Ibidem est locus, quondam bene aedificatus, ubi plenaria fuit indulgentia, quae nunc est in civitate sancta. Tandem reverso meatu ab hoc monte, itur per ducentos lxxvii passus ad ecclesiam montis Oliveti, in qua est capella rotunda, habens in circuitu exteriori 16 passus; in qua cernitur (pedis) sinistri vestigium Christi, quod lapidi impressit, cum ad coelos ascendebat, et habet in longitudine unum palmum et duos articulos medii digiti. In eadem capella sarraceni devotas orationes faciunt, habentes ibidem lapidem. Ipsi etiam super ostium scripserunt litteris eorum rubris: Ego sum ostium misericordiae. Ab eadem capella per unum passum juxta ostium obstructum versus orientem jacet immobilis lapis, in quo ultimo Christus resedit ipso die ascensionis, praedicans discipulis suis et docens de septiformibus spiritus sancti. Item in latere australi hujus ecclesiae ab extra descenditur per xviii gradus in capellam, ubi beata Pelagia fecit poenitentiam, et ibi tumulata requiescit, magnum habens lapidem super elevatum sepulchrum ejus.

Item a Monte Oliveti versus Jordanem seu

orientem per quinque stadia cernitur locus desolatus juxta vallem (villam) Bethphage dictam, unde Christus misit Jacobum et Johannem ad afferendum asinam et pullum ejus, et est in medio viae inter montem Oliveti et Bethaniam. Reverso meatu ad montem Oliveti, itur per viam, quae eundem montem dividit a monte Offensionis, qui ad sinistram versus vallem Gehennon locatur: in quo rex Salomon posuit idolum Moloch adorans illud. A capella praedicta sanctae Pelagiae per xx passus est locus, ubi apostoli vicissim composuerunt duodecim articulos fidei. Ibidem videtur ecclesia beati Marci destructa. Deinde per decem passus versus civitatem jacet lapis magnus in terra, super quem Christus praedicavit et docuit discipulos suos octo beatitudines. Item declivius per 22 passus est locus signatus, quo Dominus Jesus docuit discipulos suos orare, ut habetur Math. VI. Nota de lapide hebraice sculpto, quem sarracenus posuit in lumine (limine) ostii. Iterum descendendo per 12 passus pervenitur ad locum, quo beata virgo Maria, fatigata ex itinere quotidianae peregrinationis, saepissime sedit et requievit.

Post hoc descenditur versus vallem Siloe ad sinis-

tram et videtur parva ecclesia sanctae crucis cum tribus altaribus, juxta quam versus austrum per 16 passus cernitur habitatio Judae Scarioth et locus suae suspensionis. Ab ecclesiola praedicta, quantum arcus sagittae projicit, sub rupibus prope civitatem est locus sepulturae Zachariae interemti inter templum et altare. Huic loco annexa est capella, in qua est foramen maceriae in forma fornacis pistorum, quo Jacobus minor hora passionis et mortis Christi prae timore latebat, quousque Dominus sibi apparuit. Ab eadem capella est ingressus ad quamdam habitationem sursum in petra scissam, et dicitur, quod fuerat domus beatorum apostolorum Philippi et Jacobi. Deinde per duos passus, ex opposito anguli muri civitatis, cernitur structura satis mirabilis sine ostio in forma capellae quadratae, habens in circuitu 16 kloftern, ex integro et vivo lapide usque ad tectum sculpta. Asserunt quidam, ibi sepultum esse regem Josaphat, a quo vallis nomen contraxit, quidam vero filiam Pharaonis, quam Salomon adamavit, quidam autem Absalon, filium David. Nota de arcu testudinis secundo ibidem per torrentem extento sunt dcxv

magni passus ad primum gradum ecclesiae montis Oliveti, quorum viginti sunt. Hoc addidi, ut sciam altitudinem praedicti. Ibidem in pede montis Oliveti sub rupibus habitant coloni et pastores.

Deinde descenditur ad fundum torrentis eundo versus austrum usque ad fontem, ex quo beata virgo Maria, ut asseritur, abluebat et fasciculas Domini infantis lavit. Idem fons dividit vallem Josaphat a valle Siloe. Post hoc per ducentos lv passus versus austrum, in pede montis Sion, est fons Siloe, de quo colliguntur aquae in piscinam inferiorem, quae natatoria Siloe, id est missus, dicitur, ut Johannes narrat de coeco nato. Ab eodem monte ad duos jactus lapidis videtur congeries lapidum, ubi tumulatus fuit Isaias, et ibidem interemtus. Deinde ascenditur altus mons versus austrum, in cujus latere multae sunt cavernae et speluncae, in quibus apostoli tempore passionis Christi se absconderunt: in quibus postea eremitae christiani habitabant. Ab eisdem cavernis altius per triginta passus est ager emptus triginta argenteis, Acheldemach vocatus, habens novem foramina, (in) quae funera immittuntur.

Intra natatoriam Siloe et Acheldemach est Ce-

dron, qui colligitur de superioribus partibus civitatis et montium. Nam juxta Ramatha et Anathot, longe a sepulchro beatae virginis, auditur strepitus ejus sub terra. Descendens (descendimus) sub monte Offensionis in vallem Gehennon sive Tophet, in quo est lapis Zoaleth et fons Rogel, ubi Adonias immolavit victimas. Et sunt ibi loca fertilia propter aquas illa irrigantes. Visis his omnibus, revertendum est per eandem viam, qua venimus, versus civitatem, usque ad capellam beati Jacobi minoris, quae est juxta arcum testudinis Cedron, de quo prius mentio est facta, cum descendebamus de monte Olivarum.

Ab eo igitur arcu usque ad domum Caiphae, quae est in cacumine montis Sion, sunt d.cc.30 passus. In ascensu primo pervenitur ad locum, ubi videtur porta clausa, per quam beata virgo intravit, dum puerum Jesum praesentavit in templum. Deinde altius ascendendo versus occidens est locus, qui galli cantus dicitur, quo Petrus flevit, distans a domo Caiphae c.lxxxvii passus. De loco praedicto altius itur versus occidens per 80 passus pedum. Prope portam plateae judaeorum, quae a civitate respicit ad austrum, est locus

signatus, ubi judaei violenter rapere voluerunt corpus gloriosae virginis, cum per apostolos ad sepeliendum portaretur. A praedicta porta 76 passus platea synagogae judaeorum habet in longitudine ducentos triginta septem passus usque ad introitum testudinum. Ab hoc introitu usque ad castellum David sunt cxciii passus; multi tamen sarracenorum inhabitant. In platea vero huic proxima est domus, qua vinculatus erat beatus Petrus; loco carceris ejus est fornax pistoris. In eadem platea est portula versus austrum, quae lingua eorum foramen acus dicitur, de qua Dominus dixit: *Facilius est, camelum ire per foramen acus* etc. De loco itaque rapinae praedictae usque ad locum obitus ejus sunt cxxx sex passus pedum, quos tanta diligentia, qua potui, numeravi. Primo tamen videtur domus Annae pontificis, in qua est ecclesia armenorum satis grata, luminaribus et lampadibus bene ornata, quatuor habens columnas quadratas. Deinde altius per duos jactus lapidis est domus Caiphae in summitate montis, ut supra dictum est: in qua est ecclesiola, quae capella salvatoris dicitur, non immerito; nam super altare ejusdem capellae positus

est ille lapis magnus, quo signatum erat ostium monumenti Christi. Etiam retro altare sursum picta est transfiguratio. Ibidem juxta altare a dextris est carcer Christi, quo reclusus erat, quousque judaei convenirent et, habito consilio, audirent testimonia contra ipsum. Eandem capellam habent etiam armeni christiani.

Item in eodem monte versus stratum (stratam) est locus secundae sepulturae sancti Stephani. Item per 22 passus versus austrum retro chorum (ecclesiae montis Sion) est locus coquinae, qua paratus erat agnus paschalis ad vescendum, in qua etiam calefacta erat aqua pro pedibus discipulorum lavandis. Item in loco, qui nunc est habitatio, quo spiritus sanctus missus erat discipulis, tumulatus est David, Salomon et plures reges civitatis Jerusalem. Item in cimiterio ejusdem ecclesiae, versus aquilonem, est locus signatus, ubi ipse Dominus Jesus die ascensionis praedicavit et, increpata dementia discipulorum, misit eos in mundum, sed prius ivit cum eis in montem Olivarum; benedicens eis, ascendit in coelum. A scripto lapide xii pedibus est alter lapis terrae affixus, ubi beata virgo

sedens audivit praedicationem filii. Item locus domunculae ejus per v passus, qua morata est xiiii annis, quibus vixit post ascensionem filii ejus. Item per xiii passus est locus, quo beatus Matthias, sorte habita, electus est in apostolatum in crastino ascensionis. In eodem loco electi fuerunt septem diacones, qui rite constituti erant in ministerium viduarum: quorum primus erat Stephanus. In eodem loco fuit electus Jacobus minor ab apostolis in episcopum hierosolymitanum. Postea per decem passus est locus venerandus, ubi gloriosa virgo migravit a saeculo. Deinde per octo passus versus domum Caiphae est locus (cum) quadam capella. Mons (Sion) interpretatur quasi speculum. Nota, Petra deserti, quae est in Arabia, eo in monte speculatur et videtur. Imo et Jordanem vidi ibidem mare Mortuum intrantem, sed mane tantum, quia, cum sol ascenderit firmamentum, meatus ejus non videtur. In ecclesia itaque montis Sion, ubi majus altare locatur, eodem in loco Christus cum discipulis suis coenam manducavit, tradens eis corpus suum et sanguinem, quod coenaculum grande a Christo dicebatur. Item altare aliud

a dextris in angulo occupat locum, quo ipse eadem nocte lavit pedes discipulorum. Item retro altare majus ab extra in alto est locus, quo spiritus paraclitus die pentecostes missus fuit, sicut promissum erat apostolis. Directe sub eodem habitaculo in quadam testudine, septem passus in longitudine habente et duas parvas fenestras versus orientem, tumulatus est rex David et Salomon filius. Item in inferiori ambitu est capella, ubi Thomas apostolus certificandus de fide misit manum suam in latus Christi.

Ab hoc igitur monasterio tendit peregrinatio nostra versus castellum David, quod a tumulo ejus distat trecentis octoginta passibus. In hoc tamen itinere prius pervenitur ad ecclesiam armenorum. Eadem ecclesia est rotunda de muris validis et prostrepentibus testudinibus fortissimis, in medio quatuor habens columnas quadratas, nullam habens fenestram nisi in cacumine unam rotundam vitream, sed trecentas vel plures lampades. Nam tempore meo in uno (candelabro) centum et vigenti lampades in eadem ecclesia lucebant, et tantam devotionem populi nunquam vidi, nec audivi: cujus introitu a sinistris ostenditur locus, quo

beatus Jacobus major est decollatus, et distat a loco, ubi frater ejus Johannes missam celebravit, per ducentos 22 passus. Item prope castellum praedictum ad jactum lapidis est locus, ubi Magdalena occurrit beatae virgini nuncians ei, quod filius ejus viveret et a morte resurrexisset. Ibidem etiam Christus apparuit tribus Mariis, dicens: *Avete.* In platea episcopi hierosolymitani est domus beati Zachariae, quam habent georgitae, et in ea grata capella in honore sancti Johannis Baptistae. Ante ingressum domus est antiquissima structura et umbrosa testudo, et est in medio viae inter templum sancti sepulchri et castellum David. Deinde domus, in qua hospitati sunt tres reges. Nota de porta, per quam Maria aegyptiaca peccatis oppressa ingredi non potuit: quae videtur in platea, quae ducit ad Emmaus. Sequitur

Peregrinatio a civitate Jerusalem versus orientem ad Bethaniam.

Visis itaque propinquis, transeundum est ad remotiora, ut nostrae devotionis crescat affectus. Primo enim transitur ad Bethaniam, quae distat

a Jerusalem per dimidium milliare alemanicae viae quod est 15 stadia, Joh. 11: ubi sub castello cernitur sepulchrum Lazari a Christo resuscitati, et fuit ibi magna ecclesia, cujus columnae adhuc stantes videntur. Ab eodem sepulchro per decem passus in tenebrosa testudine est altare. Ibidem stetit Christus, cum ipsum vocavit de monumento. Item deforis altius huic in proximo est domus Simonis leprosi, duas habens cisternas, in qua Magdalena fudit unguentum super caput recumbentis, de quo Judas accensus erat indignatione. Ante sex dies paschae coenavit Jesus in Bethania Martha ministrante, cujus frater unus erat ex discumbentibus, propter quam multa turba: ex judaeis venerunt illic, cogitantes et Lazarum interficere. Joh. 12. A Bethania per sex jactus sagittae videtur lapis magnus in campo, super quem sedit Dominus, quando Marthae occurrit, ei dicens: *Domine, si fuisses hic* etc. Ab illo lapide, in quantum lapis projicitur, a sinistris versus Jordanem videtur ruina domus Marthae et signatus ambitus arte et caldarium sub rupibus. Deinde per unum jactum sagittae a dextris declivius contra austrum fuit domus Magdalenae, cujus in loco est destructa ecclesia,

stabulum caprarum facta. His duabus domibus Dominus Jesus saepissime refectus et hospitatus est. A latere utroque est vallis declivis, sed a sinistris est profundior: in qua est via, quam transivit Dominus veniens de Jericho, ascendens Hierosolymam. Sequitur

Peregrinatio de Jerusalem ad Bethlehem.

Primo enim videtur domus Simeonis prope Jerusalem a dextris, extra viam versus Garwin (Ain Kârim), in vineis; a sinistris autem prope montem Sion est aedificium in calle (colle) in forma castelli, quod dicitur domus mali consilii, in quod Judas ivit ad negationem suam, tractans de traditione Christi. Ibidem fuit grata ecclesia beati Cypriani. Post hoc per bonam distantiam pervenitur ad unam cisternam. Ibidem stella amissa reluxit tribus regibus, in quorum honore ibi fuit ecclesia, cujus pavimentum et superficies rimatur. Extra viam a dextris in colle est ecclesia beati Georgii. Ulterius a sinistris non longe a via est summum aedificium et ornata ecclesia graecorum, habens cisternam juxta parietem australem. In eadem habitatione fuit natus et moratus Elias adhuc vivens, quae

est in medio viae duarum praedictarum civitatum per alemanicum milliare distantium. Tempore Eliae clausum erat coelum annis tribus et mensibus sex. Inter Jerusalem et Bethlehem vel Ephrata est mons Gion, in quo rex Salomon fuit unctus et coronatus, super quem aedificata fuit ecclesia beati Cypriani, ut supra dictum est. Ulterius prope viam est indicium magnae turris, ubi Jacob colluctavit cum angelo, unde Gen. 32. Deinde ad dextram prope viam, qua itur in Hebron, est sepulchrum Rachelis, uxoris suae, quod per sarracenos ornate est constructum et ad austrum versum habentes ibi sepulturam eorum, et dicitur locus Chabratha. Post hoc non longe pervenitur ad agrum, in quo semen pisarum seu cicerum nutu Dei commutatum est in lapillos formam pisarum habentes et quantitatem.

In civitate Bethlehem versus occasum fuit ecclesia Cosmae et Damiani. In ingressu itaque majoris ecclesiae a dextris, juxta chorum, est altare designans locum, quo multi innocentium sunt interemti. Ibidem et Dominus Jesus est circumcisus; sed a sinistris prope cisternam est altare, ubi magi ad honorem novi

regis honorifice ad offerendum ornaverunt, et dicitur, quod in eadem cisterna stella disparuit. Deinde descenditur per 16 gradus ad capellam, quae est sub choro, in qua natus est salvator mundi. Ibidem est altare a sinistris, cum ingreditur, a quo per septem pedes et tres gradus est locus sub rupe, ubi puer Jesus reclinatus fuit in praesepium et ibi a magis veneratus et a pastoribus adoratus. Nota, quod hoc templum in longitudine ab intus habet 36 passus pedum, in latitudine vero 18, et habet quatuor rigas columnarum marmorearum, quaelibet riga habet 12 columnas per 7 pedes distantes usque ad chorum: omni decore tam in pavimento, quam in parietibus fulcitum, tecto plumbeo coopertum, genealogiam Christi per lapides musivis sursum a latere dextro, cum ingreditur, habens conpictam; bifores ejus de cypresso variis modulis incisae, parietes collaterales subducti sunt tabulis marmoreis, quae (per) perfidos sarracenos auferuntur, et est mirabile, quod contigit eadem in ecclesia. Nam quidam soldanus, mirifica cernens ejus tabulamina, cogitavit ea auferre et palatium suae mansionis in Kairo per ea subducere et ornare. Veniens igitur die statuto unacum

artificibus et sculptoribus, volens lapides ornatos auferre, subito serpens immodicus incanduit et in pariete apparuit reptans super tabulas lapideas, dividens ipsas per medium, cujus hucusque gressus in pariete, sicut vidi, apparent usque ad altare trium regum circa cisterńam praedictam. Quod cernens, soldanus confusus discessit. In ambitu hujus monasterii a latere aquilonis descenditur per 19 gradus ad capellam, quae studorium sancti Hieronymi dicitur, ubi 55 annis et sex mensibus in translatione scripturarum desudavit. Proxime hinc per maceriam ad tres passus in obscuro juxta altare, sub praesepe Domini, a dextris est tumulus ejus, quo primo sepultus erat. Cum autem Terra Sancta tradita erat in manus perfidorum et, Jerusalem non sentiens defensorem, ossa ejus veneranda translata sunt Romam et plurium aliorum sanctorum. Adhuc sunt citeriores cavernae sub saxis pendentibus a sinistris, in quibus obfuscata et projecta erant multa corpora innocentium.

Inter Jerusalem et Bethlehem sunt duae leucae, id est, unum milliare alemanicae viae, in qua via multa mysterialia sunt facta. Nam Abraham

cum uxore, veniens de Chaldaea, transivit per hanc viam. Loth cum uxore, veniens de transmontanis, in hac via ambulavit. Jacob patriarcha cum Rachel uxore saepius ibidem transivit. Beata virgo Maria praegnata hincinde per eandem viam meavit et fatigata requievit. Item tres reges, requirentes puerum Jesum, ibidem abierunt. Item Isaias et Elias et plures sancti prophetae, pergentes in sanctam civitatem, per illam viam transierunt. Item beata virgo, iens et rediens in Aegyptum et ab Aegypto, per hanc viam cum Joseph secessit.

Prope Bethlehem ad jactum lapidis, versus austrum, fuit ecclesia, in qua Paula et Eustochium sunt sepultae. Et eadem ecclesia est beati Nicolai, et in eodem loco Maria permansit cum puero et Joseph prima in nocte, cum fugit in Aegyptum. Nota de emisso lacte ibidem. Item inter Jerusalem et Bethlehem est via trium horarum. Item a Bethlehem unum quartale in valle versus mare Mortuum fuit pulchrum aedificium cum ecclesia, quod ad pastores dicitur. Nam eodem in loco angelus nunciavit pastoribus gaudium, dicens eis, ut transirent Bethlehem adorare

puerum Jesum: qui, continuo surgentes, transierunt ad latera montis Bethlehem, ubi alter ab altero retractus fuit, mutuo dicens, vocem angeli phantasma fuisse, et declinaverunt retrorsum ad gregem suum. Tunc angelo secundo affuit et coegit eos, ut viam perficerent arreptam. In eodem loco est ecclesia cum uno altari. Aliqui autem dicunt, beatam virginem ibi errasse a via ducenti in Aegyptum, sed primum magis consonum est veritati. Item a Bethlehem per duas leucas contra austrum sunt sepulchra duodecim prophetarum. Sequitur

Peregrinatio de Bethlehem ad vallem Hebron.

In via enim de Bethlehem ad vallem Hebron ostenditur locus, ubi Abraham tres (angelos) vidit et unum adoravit. In templo Hebron videtur quaedam scissura foraminosa, quae spelunca duplex dicitur, qua sepultus est Adam, Abraham, Isaac et Jacob et uxores eorum, scilicet Eva, Zara, Rebecca et Lia. Non longe ab oppido est ager damascenus, quo Adam cum Eva est creatus. Sequitur

Peregrinatio de Hebron ad Jerusalem.

De Hebron versus Jerusalem pergitur per montana Judae, ubi videtur domus Zachariae, qua beata virgo visitavit Elizabeth. Ibidem duae sunt ecclesiae, una super alteram aedificata; altior tamen est destructa. In inferiori quidem videtur scissura rupis in muro dextro, cum ingreditur, in qua latitabat puer Johannes prae timore Herodis regis pueros occidentis. Deinde descenditur per modicam distantiam, et monstratur fons saliens juxta viam a dextris, circa quam sedit et requievit virgo Maria fatigata ex itinere, visitans suam cognatam, quae ibidem sibi obviavit, ut creditur, et dixit: *Unde mihi hoc, ut mater Domini mei veniat ad me?* Ibidem ipsa mater Domini fecit canticum, scilicet: *Magnificat anima mea Dominum.* Post hoc declinatur a via ad sinistram, ad quemdam collem, quo grata fuit ecclesia, nunc autem inquinata ruderibus et plena mulorum stercoribus, quam sine tributo peregrinus non ingreditur. Ibidem natus est sanctus Johannes Baptista, filius Zachariae dicentis: *Benedictus Dominus* etc. Deinde pervenitur ad aliam eccle-

siam georgitarum bene decoratam, quae ad sanctam crucem dicitur, quia arbor crucis Christi ibidem stetit et crevit, cujus foramen videtur hucusque sub quorum (chori) altari. Postea juxta viam, qua itur ad Gazam, videtur aqua, qua eunuchus a Philippo est baptizatus. Act. 8.

Divisio Terrae Sanctae.

Terra ista, quam sanctam dicimus, in distributione cecidit in sortem duodecim tribuum Israel, et pro parte aliqua dicebatur regnum Judaeae, quae erat duarum tribuum, scilicet Judae et Benjamin, pro parte altera dicebatur regnum Samariae, in quo metropolis est Samaria civitas, quae et Sebaste dicitur, et caput fuit decem tribuum reliquarum, quae Israel dicebatur. Utrumque tamen regnum cum tota terra Philistim dicebatur Palaestina, quae erat pars, sicut Saxonia, Lotringa partes sunt Teutoniae, et Longobardia et Tuscia partes sunt Italiae. Et nota, quod tres sunt Palaestinae. In prima metropolis est Jerusalem cum omnibus montanis suis usque ad mare Mortuum et ad desertum Kades Barne. Secunda, cujus metropolis est Caesarea

maritima cum tota terra Philistim, incipiens a Petra incisa et extendens se ad Gazam, fuit Terra Sancta contra austrum. Tertia est metropolis Bethsan sub monte Gelboe. Haec quondam Scythopolis dicebatur, ubi suspensa erant cadavera militum Saulis. Ista Palaestina proprie dicitur Galilaea, in qua est campus Esdrelon, quae incipit a Jordane minori et contrahitur contra austrum usque ad Gelin (Ginaea), oppidum collapsum, sub quadro 37., in colle, quam in hac carta viridem pinxi addictam Samariae: quae a praedicto Gilin incipit et protenditur ad flumen Jordanis et ad Maginas (Machmas) quadro 53., cui annectitur Judaea, quam cum suis montanis citrinam pinxi. Galilaea autem gentium incipit a praedicto Jordane minori et protrahitur ad aquilonem ad montem Libani, et est in regione Decapoleos, cujus extremitates sunt mare Galilaeae ab oriente, Sidon ab occidente, Damascus ab aquilone. In hoc quidem ambitu sunt decem civitates, a quibus Decapoleos regio dicitur, quae sunt Tiberias, Bethsan, Jonapata (Jotapata), Sephet, Cedes Neptalim, Assur, Caesarea Philippi, Capharnaum, Bethsaida, Chorozaim. Sunt tamen in ea adhuc plures civi-

tates, ut supra insignita. Has omnes civitates et castella circuibat Dominus Jesus docens in templo eorum et praedicans evangelium regni. Matth. 4, 23.

Longitudo terrae promissae a Dan, quae est sub monte Libani, ab aquilone contra austrum usque Bersabe, quae est prope desertum Aegypti, habet quadraginta duo milliaria alemanica vel ducenta decem italica; latitudo vero ejus a mare occidentali usque ad fimbriam montium Arabiae habet quatuordecim milliaria magna vel septuaginta italica. Tota itaque Terra Sancta in octoginta tria quadra protrahitur et in viginti octo spatia secundum latitudinem, tractis lineis super lineas transversaliter ab occidente ad oriens. Exinde 2. spatio et in 12. quadro locatur Bosra in regione Bostoron, de qua scribitur Isaiae 62. Via per civitatem Cedrar (Cedar), sub quadro 23., ducit ad Aran (Aram), Mesopotamiam, Hammam, Hyrcaniam et ad mare Kaspium. Hae gentes per eandem viam annuatim consueverunt convenire ad planitiem fontis Phiale, et habent nundinas ibidem per totum mensem maji, et erigunt ibi tentoria diversorum colorum in civitate Cedar in monte, pulchrum generantia prospectum: quae ta-

bernacula Cedar in Canticis appellantur. Hanc civitatem vocat Josephus Camelam pro eo, quod mons, in quo sita est, in modum cameli est dispositus. Sub quadro 24. (53.) in montanis ad orientem locatur Areopolis, quae olim Aror (Aroer) vocabatur, metropolis secundae Arabiae, quatuor habens dietas ad Petram deserti. De hac Petra Isaiae dicitur: *Emitte, Domine, agnum de Petra deserti ad montem filiae Sion.* In hoc monte vidit Johannes agnum stantem. Apoc. 14. Super hanc Petram aedificatum est inexpugnabile castrum quondam Pirach (Kirach), in quo soldanus suos deponit thesauros Arabiae et Aegypti. Intra hanc Petram et Areopolim mediat torrens Sorec et mons Abarim, ubi Moises per angelos sepultus est. Ab hac Petra versus austrum sunt tres dietae ad montem Seir, qui conjunctus est deserto Pharan, et dicitur terra arabica usque ad mare Rubrum. Nota, sub fimbria montium primae Arabiae, circa montem Sanir, incipit terra Hus, quae et regio Traconitidis dicitur, et prolongatur usque ad Cedar et mare Galilaeae, et fuit in parte de regione Decapoleos. Item sub fimbria montium secundae Arabiae usque ad Jordanem fuit regnum

Og, regis Basan, quod cedit pro parte tribui Gad usque ad torrentem Jaboc. Hoc regnum ad differentiam aliorum citrinum pinxi. Tota autem terra huic vicina, quam albam feci, dicitur Bethania, ubi Johannes erat baptizatus, et fuit regnum Seon, regis Ezebeon, quod fuit in parte de tribu Isachar. Deinde intra torrentes Ainan (Arnon) et Sorec sunt campestria Moab, et ostenditur ibi locus, ubi Balam et asina colloquebantur, et ubi liber Deuteronomii est editus. Terra autem citrina ultra torrentem Sorec versus austrum dicitur terra Moab et Ammon, ut praedictum est.

Nota, quod tres sunt civitates fugitivorum trans Jordanem: prima sub quadro 23. circa montana Arabiae Golan vocatur, secunda sub quadro 37. vocatur Ramoth Galaad, tertia sub quadro 33. dicitur Ephrem, ubi Christus morabatur cum discipulis suis. Johann. XI. Et tres sunt civitates refugii versus mare occidentale: una est Hebron sub quadro 69., altera Sebaste sub quadro 43., ultima citra paludem Maron (Merom), dicta Cedes Neptalin, in valle Sanin, de qua fuit Baruc. Hae sex civitates signatae sunt in carta cum tali signo .·.

Sub 19. quadro ponitur hoc signum Λ·, et est locus, ubi Dominus quatuor millia populorum septem panibus saturavit. Sub 19. quadro juxta hoc signum ·V. pavit Dominus quinque millia hominum quinque panibus, sicut scribitur Joh. 6. Sub quadro 19. circa hoc signum C centurio supplicavit pro servo suo. Ibidem Dominus mundavit leprosum juxta mare Galilaeae. Prope Kapharnaum Matthaeus, Andreas, Petrus, Jacobus et Johannes vocati sunt in apostolatu. Sub 21. quadro Petrus et Andreas et Philippus sunt a Bethsaida. Joh. 1. et 12. Sub 36. quadro est Machaerunta, ubi decollatus est Johannes Baptista.

Stagnum Maron tempore aestivo pro magna parte exsiccatur. Unde crescunt ibi arbusta et herbae densae, in quibus latitant leones et aliae bestiae, et sunt ibi delectabiles venationes. In modica distantia versus aquilonem signavi locum cum gladio, ubi Josue pugnavit contra regem Assur et alios 24 reges, quos persecutus est usque Sidonem geminato die et sole stante. Unde: *Gloria Libani et decor Carmeli et Saron data est ei.* Is. 35. A Sidone contra aquilonem ad duas dietas extra Terram Sanctam, in porta (portu)

damascenorum, est antiqua et nobilis civitas Baruth (Berytus); sed portus ejus periculosus est, in quem nos ventus aquilonis intrare compulit in vigilia sancti Thomae, a quo regrediebamur ad grandia flumina in vigilia nativitatis Christi, et in diluculo sequentis diei festi eundem portum non sine metu iterum per turbinem compulsi sumus intrare, ubi, fixis ancoris, lugubres stetimus usque ad diem circumcisionis. Ab exteriori porta orientali ejusdem civitatis per ducentos et nonaginta passus ostenditur locus, ubi beatus Hieronymus (Georgius) tortuosum anguem interfecit. Sub quadro 31. est fons Israel, de quo primo Regum, ubi Philistim fixerunt castra sua, cum Saul esset in Gelboe. Inter montem Gelboe et montem Hermoniim est vallis duarum leucarum in latidudine (et) in longitudine non octo leucarum usque ad Jordanem, in qua multi conflictus habiti sunt: Gideon contra Madian, Achab contra assyrios, modernis etiam temporibus tartari cum sarracenis. Eundem locum signavi cum gladio. Sub quadro 19. est casale Sancgor (Sanctus Georgius), ubi sanctus Matthaeus creditur fuisse natus. Et est situm inter montana in valle pingui et fertili, quae protenditur ad mare Galilaeae.

Propter ejus amoenitatem de ea bene dici potest illud Genes.: *Aser pinguis panis ejus et praebens delitias regibus.* Quod utique verificatum fuit in sorte tribus Aser. In spatio 16. et 22. quadro est Neptalim, de qua fuit Tobias: firmo loco sita et inaccessibili nisi a parte orientis per breve spatium, quod tempore excidii secundum Josephum Jonapatra (Jotapata) dicebatur, in qua idem Josephus obsessus fuit a romanis et captus: quae nunc Siran dicitur. Sub 24. quadro est villa Endor, de quo Psalmus: *Disperierunt in Endor.* Sub 55. quadro est Bethel in tribu Benjamin, ubi Jacob lapidem erexit in titulum, quando fugit a facie Esau, dormiens, ubi vidit scalam etc., et vocavit nomen loci illius Bethel, a qua versus orientem est Hai civitas, de qua Josue 8. scribitur. Sub quadro 69. est Mambre, ubi longo tempore habitavit Abraham, sedensque ad ilicem Mambre in ostio tabernaculi sui vidit tres viros descendentes per viam etc. Genes. 18. Ilex illa ostenditur hodie ante ostium tabernaculi. Ipsa tamen vetus aruit; sed de radice ejus alia et alia nata est. In 20. spatio est Sochot Judae juxta vallem Terebinthi, ubi David interfecit Goliam ge-

thaeum. Seth (Sethim) sub 56. quadro locatur in colle.

Ab ea incipit terra philistinorum. In eodem colle christianus rex Hierosolymorum, nomine Fulco, aedificavit praesidium Ibelim dictum contra insolentias ascalonitarum. Ascalona fuit civitas philistinorum prope mare sita, formam habens semicirculi, et est quasi totum robur sarracenorum in terra illa. Sub quadro 22. in littore maris est Ackon, olim civitas philistaea, Ptolemaida dicta. Sub quadro 40. et 28. spatio est Cesarea O—C maritima (Caesarea maritima), quam Herodes Ascalonita ad honorem Augusti ampliavit, et fuit metropolis Palaestinae maritimae. De ipsa Josephus multa scripsit. Versus orientem habet paludem latam et profundam et dulcem, in qua multi sunt kocodrilli. Ipsa vero penitus est destructa. Petrus apostolus in ea baptizavit Cornelium; Paulus in ea longo tempore detentus (est) in carcere, dum Romam pergeret. Incommodum portum habet; hortorum autem et pascuorum et aquarum fluentium habet plurimam ubertatem usque ad Lyddam et versus terram Saronam. Lyddam signavi cum arcu testudinis, qui ibi videtur, ubi

erat templum sancti Georgii ibidem occisi. Arsur in littore maris, olim Antipatrida dicta, fuit fratrum hospitalis beati Johannis Eleemon. Joppes civitas non habet portum. In ea fuit Tabitha, apostolorum famula. Ibi Jonas intravit navem fugere volens in Tarsum. In hac civitate non vidi quemquam hominem, quia multae civitates circa littus maris per soldanum destructae sunt, cum audiverat, praedictam civitatem Ackon esse captam per reges Franciae et Angliae. Sidon, urbs Phoenicis; ejus magnitudinem adhuc ruinae ejus attestantur. Fuit in campo per longum disposita, tendens ab aquilone in austrum sub monte Antilibano. De ruinis autem ejus alia est aedificata, parva quidem, sed munita, si haberet defensores. Et est ex parte una in littore maris sita, habens hincinde duo castra bene munitå, unum ab aquilone in rupe marina, quod olim peregrini de Teutonia aedificaverunt, aliud ex parte australi in colle situm. Haec duo castra cum civitate milites templi olim tenebant. Et sunt ibi cannae mellis et vineae et valde bonae. Inde ad duas leucas est Sarepta, paucas domos habens, cum tamen ruinae ejus ostendant, eam fuisse glo-

riosam. Tyrus in tribu Aser, quam tamen aseritae nunquam possiderunt. Deinde putei aquarum viventium. Sub 43. quadro est Sebaste, quae est (et) Samaria dicta. Est tota destructa praeter duas ecclesias: una in honore sancti Johannis Baptistae, in qua est sepulchrum ejus de marmore ad instar sepulchri dominici, ubi ipse inter Helisaeum et Abdiam prophetas fuerat sepultus. Fuit enim cathedralis ecclesia in latere montis posita, quam sarraceni deturpaverunt. Altera est in supercilio montis. Hanc graeci inhabitant monachi, qui ostendunt ibi locum carceris ejus, quod frivolum reputo, cum in Machaerunta sub 36. quadro sit decollatus. Sub 45. quadro est Sichem, quam graeci Napolosam vocant: de qua fons Jacob distat ad duos jactus sagittae. In Sichem sepulta erant ossa Joseph. Judaei dicunt Sochim, Sion vocant Haraon.

De civitatibus et locis Terrae Sanctae.

Ackon civitas, in provincia Phoenicis sita, turribus et muris bene munita, triangularem ut clipeus habens formam, cujus duae partes surgunt a mari, tertia campum respicit: habens in longi-

tudine duo milliaria sive sedecim stadia, fertilis tam in agris, quam in hortis. Ipsa enim nunquam fuit de Terra Sancta, nec a filiis Israel possessa, licet tribui Aser in distributione Terrae Sanctae fuerit assignata. Fuit enim una de quinque civitatibus philistinorum, juxta mare sita, circa quam angelus Domini, inveniens Abacuk portantem prandium messoribus, tulit ipsum in Babylonem, sicut legitur Danielis 14. Eodem in loco, quo raptus erat ab angelo, erat grata capella. Ab eadem civitate Ackon contra aquilonem ad octo leucas cernitur ille mirificus puteus aquarum viventium versus Tyrum, sumptuoso opere constructus. Quamvis singulariter dicatur puteus, non tamen unus est, sed tres fontes ejusdem structurae et dispositionis, sed non ejusdem quantitatis. Principalis tamen fere habet triginta quatuor cubitos in altitudine, alii duo viginti duos. Quadrangulati sunt muris fortibus de saxis validis, et amplificati tantum, quantum hasta tornari potest: in quibus aqua ita ebullit et scaturit, quod omnibus aquaeductibus partitur, etiam per totam planitiem Tyri diffunditur, ita quod horti et vineae, ficeta et oliveta et cannamellae, quae abunde ibi crescunt,

irrigantur. Distant enim hi fontes a mari, quantum arcus sagittam projicit. Ab his ad unam leucam est civitas tyrensis, ab Ackon contra aquilonem sita: de ejus praeconio quidam prophetarum scripserunt. Ipsa enim magno murorum ambitu assurgit a littore maris, mari circumdata undique, nisi in parte orientali, ubi eam Nabuchodonosor et postea Alexander fecerunt contiguam terrae fere ad jactum lapidis. Ibique cincta est muro triplici et alto cum turribus firmis. In ea Origines tumulatus fuit. Multae reliquiae sanctorum, qui in ea pro Christi nomine interemti sunt, permanserunt. Ante portam versus austrum ad jactum duarum sagittarum signatus est locus praedicationis Christi per lapidem, in quo stetit: super quem fundata erat ecclesia in honore salvatoris. Est etiam ibi locus, ubi mulier, finita praedicatione, dixit ad Jesum: *Beatus venter* etc. Hic locus non operitur arena, quae licet sit levis et volatilis, sicut nix in intenso frigore apud nos, quae a vento rapitur et spargitur, iste tamen locus in medio arenarum semper est viridis. De Tyro ad quatuor leucas est Sarepta Sidonae, ante cujus portam ostenditur locus, quo Elias venit ad

viduam sareptanam. Deinde non longe est capella, ubi filium ejus resuscitavit. De Sarepta ad duas leucas est Sidon, civitas quondam magna, cujus magnitudinem ruinae murorum indicant. Est fere tota in corde maris sita, habens hincinde duo castella, unum in colle contra campum, aliud in rupe maris, quod quondam aedificaverunt teutonici peregrini. Ab hac civitate (distat) Antilibanus per alteram dimidiam leucam, ubi vina delicatissima crescunt, de quo et propheta: *Memoriale tuum ut vinum Libani.* Ultra Sidonem, ante cujus portam, Dominus sanavit filiam chananaeae.

A Sidone per viginti milliaria italica extra Terram Sanctam versus aquilonem est Baruth, civitas antiqua, abhorrendum habens portum, in quo pernoctavi non sine timore in vigilia sancti Thomae apostoli 1422. In quodam habitaculo subterraneo hujus civitatis ostenditur imago salvatoris, non multum post passionem ejus ad ignominiam ipsius ridiculose depicta et ab infidelibus deturpata et percussa, ita ut sanguinem et aquam emittebat, unde quidam conversi sunt, et erat imago sedens cum delusoribus circumquaque pictis, tamquam in domo Pilati, cum erat spinis coro-

natus et sicut rex adoratus. Facta est ibidem capella cum uno altari, habens in descensu xviii gradus. Post Baruthum contra aquilonem est Biblium in littore maris, civitas prima de patriarchatu antioceno. De ista dicitur in Ezechielis 27. in commendatione Tyri et in libro 3. Regum, quod operarii Salomonis erant de Biblio. Nunc ipsa civitas Gibeth (Gibleth) dicitur, et est satis parva. De Biblio ad tres leucas est Botros (Botrys), civitas quondam opulenta, sed nunc funditus destructa. Inde ad tres leucas est castrum et villa Nemsyn (Nephin) fere in mari situm et valde munitum. Deinde per duas leucas est Tripolis, famosa civitas super littus maris. Habitant in ea graeci, latini, armeni, moranitae, nestoriani et multae gentes. De serico multa fiunt in ea opera. Audivi pro vero, quod essent in ea textores serici et cameloti mille et ducenti. A Tripoli per tres leucas terminatur mons Libanus, ad cujus pedem oritur *fons hortorum, fluens impetu de Libano,* et irrigat omnes hortos et planitiem circa Tripolim. Et plura loca religiosa constructa sunt super rivos ejus et ecclesiae multae graecorum et armenorum. Et pro certo de isto fonte verum est, quod dicitur in

Esther: *Quia fons parvus crevit in fluvium magnum, et in aquas plurimas redundavit.* De Tripoli duabus leucis est mons Leopardorum, rotundus in aspectu et satis altus. In hujus pede aquilonali est spelunca, in qua erat monumentum, habens in longitudine viginti pedes; quod sarraceni devote frequentant, dicentes, id esse sepulchrum Josue, quod non credo, quia textus dicit eum sepultum in latere montis Ephraim 46. quadro. Credo potius, illud esse sepulchrum alicujus filiorum Noe vel alterius similium eorum, qui circa illa loca habitasse probantur. De spelunca ista ad tres leucas, iterum contra aquilonem, videtur castrum Arachs (Arachis), quod Aracheus, filius Canaan, aedificavit post diluvium, sicut dicit glossa super Genes. et Paralipom. .I. Deinde per planitiem ad octo leucas pervenitur in Antiaradum vel ante Aradium. Et est insula a terra firma per dimidiam leucam distans. In Antiarado beatus Petrus multo tempore praedicavit, cum Antiochiam tenderet, sicut in itinerario Clementis dicitur. Et Clemens ibidem reperit matrem suam. Ibi etiam beatus Petrus primam ecclesiam in honore sanctae Mariae construi fecit. De Antiarado ad sex leucas est

castrum Margat, fratrum hospitalis sancti Johannis in monte alto bene munitum, a mari per unam leucam, prope civitatem Valaniam, in qua erat sedes episcopalis; sed propter insultum sarracenorum in castrum est translata.

In civitate Valania et in fluvio ejusdem nominis, qui ipsam praeterfluit, terminatur regnum Jerusalem et incipit patriarchatus antiocenus. Distat locus ille ab Ackon per octo dietas, et sunt quatuor dietae ab isto usque Antiochiam. Antiochia enim est in provincia Coelesyriae, quae incipit a fluvio Euphrate et terminatur in rivo Valaniae, qui fluit sub castro Margat, et cadit in mare Magnum juxta villam Valaniae, in qua fuit sedes episcopalis, ut praedictum est. In eadem provincia est Laodicea, Apamia cum caeteris urbibus suffraganeis. Alia est Syria Phoenicis, quae incipit a praedicto fluvio Valaniae ab aquilone et extenditur versus austrum usque ad Petram incisam sub monte Carmeli, qui locus hodie castrum Peregrinorum dicitur. In ista Syria sunt civitates Margat, Antiaradum, Tripolis, Baruthum, Sidon, Tyrus, Ackon, Kapharnaum. Alia est Syria Damasci vel libanica, in qua metropolis est Damas-

cus, et mons Libani in ea preclarus habetur. Tota autem terra a Tigri fluvio usque ad Aegyptum generaliter Syria nuncupatur. Pars tamen ejus prima, quae est inter fluvios Euphraten et Tigrim, protenditur per longum ab aquilone in austrum, hoc est, a monte Tauro usque ad mare Rubrum, et appellatur Mesopotamia Syriae, quasi media inter aquas, et habet gentes multas, ut parthos, medos, quibus ab austro conjungitur Chaldaea. Deinde itur Antiochiam, ubi omnes fideles, qui prius vocabantur galilaei, christiani appellati sunt, qui nunc a sarracenis nasrani vocantur. Ibidem cathedra beati Petri fuit, de qua et Galienus natus est, qui nepotem suum Lucam Evangelistam docuit medicinam. Haec civitas dicta erat Riblata usque ad tempus regis Antiochi. In ipso exordio Coelesyriae versus (occidentem) est civitas Tarsus, de qua fuit sanctus Paulus.

Item ab Ackon praedicta civitate, quinque milliaria versus orientem, videtur quoddam casale dictum Sandsorti (Sancti Georgii). Ibidem, ut dicitur, natus fuit beatus Hieronymus (Georgius). Inde ad austrum est civitas Naason, de qua legitur in Tobia. Deinde ad duas leucas est Dothaim

sub monte Bethuliae, quam Holofernes voluit expugnare. De Naason ad duas leucas contra orientem et de Dothaim tres leucas est Neptalim, civitas Tobiae, quae facta est sicut casale. De Neptalim quatuor leucas contra orientem supra mare Galilaeae est Bethsaida, civitas Andreae et Petri. Inde ad duas leucas contra austrum est Magdalon castellum supra mare Galilaeae, unde Magdalena dicta est. De Bethsaida per unam leucam contra orientem est locus, quo Christus stetit in littore et dixit septem discipulis: *Pueri, nunquam pulmentarium habetis:* cujus vestigia in lapide videntur. Deinde contra orientem est Kapharnaum, in qua Christus multa miracula operatus est. Math. XI. Postea per duas leucas versus orientem Jordanus intrat mare Galilaeae, in cujus altiori littore videntur ruinae Chorosain. In hoc loco incipit ascensus montis Sanir. De Chorosain quatuor leucas contra orientem est Cedar, civitas quondam bene munita. Unde: *Habitavi cum habitantibus Cedar.* Ab Ackon quatuor leucas versus orientem est Chana Galilaeae, ubi Christus aquam convertit in vinum. Locus nuptiarum est crippa (crypta) in saxo cavata, quae paucos capit homines, et ostenditur locus, ubi

steterunt hydria et triclinium, ubi erant mensae positae, et sunt loca subterranea, sicut alia quamplurima sancta, scilicet annunciationis, nativitatis Christi. De Chana Galilaeae duas leucas contra austrum est civitas Sephor (Sepphoris). Deinde versus Tiberiadem supra Dothaim est mons Bethuliae, ut supra. De Bethulia septem leucas supra mare Galilaeae est Tiberias; Herode tetrarcha nuncupata est Tiberias. Sunt ibi balnea medicinalia in littore maris. Ab Ackon contra austrum, sed aliquantulum declinando ad orientem est Nazareth, civitas dilecta, ubi flos florum de radice Jesse pullulavit, et distat ab Ackon septem leucis. Ipsa enim est propria civitas salvatoris. Eo quod in ea nutritus fuerit Jesus, Nazarenus vocatur. Ibidem fons exiguus scaturit, ex quo puer Jesus suevit haurire et aquam ministrare matri suae. De Nazareth tribus leucis contra orientem est mons Tabor, quo (trans)figuratus est Christus, et rimatur ibi locus trium tabernaculorum. In hoc monte sunt concavae et cavernae sub ruinis magnorum aedificiorum, quibus latitant leones et aliae bestiae. In descensu ejus est capella contra occidentem, ubi Dominus dixit: *Nemini dixeretis vi-*

sionem etc. Ultra torrentem ejusdem montis inter austrum et orientem est mons Hermon modicus, de quo Psalmus dixit. De Nazareth quatuor leucas et de monte Tabor (plus una) est alter mons Hermon, in cujus latere aquilonis est civitas Naim, ubi suscitavit Dominus filium viduae. Iste mons extenditur contra orientem versus mare Galilaeae fere ad quinque leucas. Mons Gelboe et mons Hermon ita situati sunt, ut sit Hermon ab aquilone, Gelboe ab austro et in medio eorum planities duarum leucarum lata et quatuor longa. In ista planitie ante tempora magna bella et conflictus fuerunt. Ibi enim Gedeon superavit madianitas. Ibi Saul superatus est a philistaeis, cujus caput suspenderunt extra moenia civitatis Bethsan, quae est inter Jordanem et Gelboe.

Galilaea campestris est fere et plana, ex una parte est de Terra Sancta, in qua sita est Bethsaida; Samaria vero montuosa, in qua Sebaste, quondam nobilis civitas apud reges Israel, nunc autem desolata et tota derelicta praeter duas ecclesias: una est in summitate montis, ubi quondam regium fuit palatium, altera est in honore sancti Johannis Baptistae, in qua sepultus fuit inter

Helisaeum et Abdiam, deinde translatus, ut creditur, de Machaerunta oppido, quod est inter Jordanem et Sebastem. De Sebaste contra austrum duas leucas est mons Bethel. Inde ad unam leucam est mons Dan supra civitatem Sichem ad sinistram. In his duobus montibus Jeroboam posuit vitulos aureos et apostatare fecit Israel. Inter istos montes Sichem civitas est sita, quae etiam Neapolis dicitur, multiplici amoenitate fulcita; sed munita non est, nec muniri potest. Hostibus ab aquilone intrantibus non aliud restat, nisi quod domistici fugiant ad austrum, si sint pauciores illis. In Sichem fuerunt ossa Joseph translata de Aegypto et sepulta. Huic prope est campus praedii, quem Jacob dedit filio suo Joseph. Non longe a porta civitatis est fons Jacob, super quem Dominus sedit petens aquam a samaritana, et in loco fuit ecclesia. Ad dextram Sichem est mons Garizim. Ibi adhuc apparet antiquum fanum Jovis, et fuit ibi hospitale, de quo legitur 2. libro Machabaeorum: quem etiam montem mulier samaritana dicitur intimasse, cum dixit: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt.* De Sichem per unam leucam est civitas, quae dicebatur Luza, in qua Abraham habitavit. In

hoc loco, ut ajunt quidam, dormiens Jacob vidit scalam, quando dixit: *Terribilis est locus iste,* et appellavit locum eundem Bethel, qui antea Luza vocabatur, et interpretabatur *Dominus videt.* Quidam vero dicunt in monte Calvariae, in quo ego Johannes Poloner novissimus historiam hujusmodi immolationis vidi depictam opere musaico eo in loco, ubi Christus immolatus est. Sic etiam a quibusdam dicitur, quod locus, ubi Jacob dormiens vidit scalam, sit mons Moria sive mons herbarum (Abraham?), in quo postea templum Domini a Salomone fuerit constructum.

Planities, quae est inter Jordanem et Jericho, vocatur Galgala, a qua per dimidiam leucam distat mons Quarentenae, ubi Dominus jejunavit quadraginta diebus, ibique tentatus a diabolo. Alii dicunt, quod sit ille mons altus versus Galilaeam, distans a praedicto monte duas leucas, in cujus cacumine fuit capella. Ibidem ostendit ei omnia regna. Sub isto monte oritur et fluit fons Helisaei, quem de amaro dulcem et potabilem fecit. De Galgala per unam leucam fuit Jericho, civitas quondam nobilis, nunc vero ita humilis, ut nec vestigium sit, quod fuit civitas: de qua fuit

Zachaeus. Descendentibus de Jerusalem in Jericho, quasi in fine montium, ante principium planitiei, secus viam ostenditur locus, ubi coecus sedebat secus viam mendicans, et fuit ibi ecclesia. De Jericho quatuor leucas contra occidentem est via, quae ducit in Jerusalem, ad sinistram deserti Quarentenae, ad unum casale, ubi ille incidit in latrones. De Jericho tria milliaria versus austrum est monasterium sancti Hieronymi in vasta solitudine, quae solis ardoribus uritur, quod nihil ibi est viriditatis. Ibidem fuit per quatuor annos. De Jericho sunt duae leucae ad Jordanem, ubi ostenditur capella sancti Johannis Baptistae. Per Jordanem populus Israel sicco vestigio ambulavit. In Jordane Naaman leprosus mundatus est. In Jordane Christus baptizatus est. De Jericho tribus leucis sive sex milliaria italica, de capella sancti Johannis duabus leucis contra austrum, est mare Mortuum. In hujus littore orientali sita est Segor in parte Arabiae, ubi est statua salis, in quam versa est uxor Loth, ad quam videndam periculosus est accessus propter madianitas ibidem commorantes. Illud mare quandoque crescit in tantum ex tumefactione, quod operit totam illam

statuam; aliquando tantum decrescit, quod iterum videtur nunc ad pectus, nunc ad genua. Est enim in loco medio inter Segor et mare Mortuum. Illud mare habet in latitudine sex leucas. Semper fumans et foetens tota illa vallis, quae quondam illustris dicebatur, per decem dietas ita sterilis facta est, ut nec gramen proferat, nec aliquod germen. Omnes etiam montes a dextris et a sinistris steriles sunt ad sex leucas. Supra ipsum locum in descensu Arabiae est Carnaim, spelunca moabitarum, ad quam Baalam ad maledicendum deductus est, quando asina, cui insidebat, locuta est. Istud mare dividit Indiam (Judaeam) ab Arabia.

Arabia tempore filiorum Israel desertum et solitudo erat, ubi detinuit eos Dominus annis quadraginta, pluens eis manna de coelo, ubi etiam columna ignis per noctem praecessit eos, nubes vero vallavit eos singulis diebus, et ibidem quadraginta mansiones filiorum Israel. Exod. et Num. 33. Nota: Arabia conjungitur Idumaeae in confinibus Bostoron. Idumaea est terra Damasci; caput Syriae quidem Damascus. Idumaeam et Veneciam (Phoeniciam) dividit Libanus,

In Phoenicia est urbs Tyrus. In Arabia est vallis Moisi, in qua percussit silicem aquas fluentem. In Arabia est mons Sinai, in qua lex fuit data Moisi. In Arabia est mons, in quo sepultus est Aaron. In Arabia est mons Abarim, quo Dominus Moisen sepelivit, ejus nunquam apparente tumulo. In Arabia est locus, qui dicitur petra Deserti sive mons Regalis. Reg. 7. In loco excelso ultra Jordanem, juxta civitatem Rabath filiorum Ammon, in fine Terrae Sanctae fuit castellum, scilicet petra Deserti, satis firmum, quod Balduinus, primus rex latinorum in Jerusalem, ad tuendum regnum construxit.

De terra Aegypti.

Aegyptus est terra plana et calida, raro habens pluviam, sed irrigatur per fluvium Gion, qui et Nilus dicitur. Hic fluvius septem habet brachia per diversas partes discurrentia. Hic fluvius nutrit equos indomitos et kokodrillos, quorum non est numerus, qui ad modum lacertae sunt formati, quatuor pedes habentes, et crura grossa et curta, ungues acutos ut ursus et caput sicut lacerta. De qua (aqua) quandoque ad solem egre-

diuntur, animalia et homines, quos possunt, occidunt. Agnus et hircus vix sufficit sibi ad semel vescendum. Incipit itaque Nilus crescere in nativitate sancti Johannis Baptistae usque ad exaltationem sanctae crucis, deinde decrescit usque ad epiphaniam Domini, ubi tunc (terra) apparet arida. Colonus projicit semen suum (*) et metet in martio. Omne genus leguminis a festo beati Martini usque ad martium recens colligitur, similiter et fructus hortorum. Oves et caprae bis pariunt in anno.

Sciendum, quod tres sunt Babyloniae: prima super fluvium Thabor (Tigrim), in qua regnavit Nabuchodonosor. Secunda est in Aegypto, super quam regnavit Pharao. Istae duae sunt desolatae. Tertia, de qua hic agitur, etiam est in Aegypto. Huic contigua est civitas, quae Kayrum dicitur, in quo regia sunt palatia ipsius soldani, et est una et eadem civitas cum nova Babylonia. In hac civitate sunt quinque genera hominum, scilicet romani, graeci, jacobitae, (qui sunt) christiani, sarraceni et judaei. Ibidem est ecclesia jacobitarum, quae vocatur domina nostra de Laza, mirae pulchritudinis, et est patriarchalis ecclesia jacobitarum: in qua est una columna, de

qua vox exivit dicens: Ite, quaerite, (***) hic transfert montes etc. Est etiam ibi ecclesia sanctae Barbarae, ubi ejus corpus quiescit. Sunt itaque intra Babyloniam et Gayrum XV ecclesiae christianorum, inter quas est una solemnior: in aqua est capella sub terra, in qua est locus, ubi beata virgo morabatur cum filio Jesu et Joseph, quando fugit de terra Israel. Ubi puer dormiebat, est crux facta pro signo. Ita super omnes ecclesias habetur in reverentia et vocatur domina nostra de Chana Babyloniae. In Cairo fuit arbor palmae antiquissimae, quae se beatae virgini inclinaverat, ut colligeret inde dactulos, et postea se erexit et stetit sicut prius. Legitur, quod turris Babylon deforis ab acie ad aciem extra habuit 1025 passus pedum, sed spissitudo muri ejus fuit 300 passuum, quoniam intendebant aedificare usque ad lineam lunarem.

Gaza, Gazara distat a Jerusalem per tres dietas, et est una de quinque civitatibus philistinorum, cujus portas Samson abstulit et supra cacumen montis portavit. A Gaza etiam per tres dietas est Domata, civitas Aegypti, ubi Jeremias fuit lapidatus. Secunda Ackaron: est una de quin-

que civitatibus philistinorum, decem leucis distans ab Ascalona versus Joppem, non longe a mari. Bersabe autem inter montana et civitatem Gaza situatur. Geth etiam fuit una de civitatibus quinque philistinorum, non longe a Lydda et Ramula sita, de cujus ruinis Jebellum castrum in eodem colle constructum est. Hoc enim oppidum et castellum Jebelon, quod antiquitus Bersabe dicebatur, et castellum Blanczgwarde aedificata fuerunt ad resistendum insultui ascalonitarum. De Ascalona fuit rex Herodes, cujus tempore natus est Christus. Ab ea per tria milliaria distat castrum Blanczgwarde. Joppe est non longe ab Ackaron in littore maris sita, ubi beatus Petrus Tabitham resuscitavit.

I.

Vorläufer der noten zu Willibald.

a. nach der klosterfrau.

Die verfasserin der einen schrift war eine klosterfrau, aus der familie Willibalds (de illorum genealogiae stirpe. Prolog.), welcher später zum bischof von Eichstätt erwählt wurde. Der name dieser ehrwürdigen frau ist der nachwelt nicht erhalten; wol äussert sie sich, dass sie vom sächsischen geschlechte (saxonica de gente) abstamme (Prolog.). Wie der pilger erzählte (ipso .. nobis referente s. 4), so schrieb sie in Heidenheim nieder (de oris sui dictatione scribere .. destinavimus. Prolog., c. XXXVII), in gegenwart von 2 diakonen und sonst noch einigen jüngern, die es hätten bezeugen können. Die schreiberin gibt sogar die jahreszeit, nicht aber das jahr selbst an, wann es geschehen sei, nämlich mitten im sommer, einen tag vor der sommerwende, am 23. (?) junius.

Die schreibart, wie sie nach den mir bekannten hss. auf uns gelangt, ist freilich, wenn auch hier und da belebt und begeistert, nicht ohne schwung und einen anflug von wolredenheit, doch in der regel sehr mittelmässig

